Viperarum partus. 85
Vteri Frigidi, et Humidi Nota. 142

FINIS.

ERRATA.	CORRIGE.
1 Facultatem cuius	Facultatem cuiuis
5 eum cecinerit	cùm cecinerit
aurem	autem
8 lin.10.hadeat	habeat
8 lin.13.potritæ	protritæ
9 lin.2.Stentoria	ſtentorea
12 lin.pen.cnncta	cuncta
16 lin.10.alet	alit
17 Cognito.	cogito
18 l.p.vt ſi	ut ſit
18 Mulcem	Mulces
18 Paſſum	Paſſera
19 l.2.Naſcitur	Paſcitur
19 l.11.Donſilia	Conſilia
19 l.12.auditis	aud's
19 l.19.Intentio	Inuentio
20 An ſit in Priſcorum	An ſit in Vitio,Priſcorum
20 Quæ cæteri	Quæ Alij
21 l 31.Interpoles	Interpolis
22 ſtomachnm	ſtomachum
23 deſplicet	diſplicet
24 Nugaris Puer ſolea	Nugaris Solea Puer
25 prouicaciter	peruicaciter
26 l.antep.Doctor	Doctos
26 l.vlt.noſtrum	noſtram
28 apud noſtros vero Moſes ille Dei Symmiſtis	Ex Moſe illo Dei Symmiſte ipſus Noe,atque Filij
29 deſceſſit	diſceſſit
29 retipiſcant	reſipiſcant
29 l vlt.reddere	credere
30 creſcentem	creſcentem
36 l.2.Balotranum	Balatronum
36 à damnatis natalibus	ab eiuſmodi animalibus
37 l.p.ſymptomatæ	ſymptomata
37 l.3 confirmatione	conformatione
37 l.4.àt	aùt
37 Medicus	Medicos
43 l.5.docto	doceo
42 l.6.ſcrtpturæ	ſcripturæ
42 l.7.interſerunt	interſeruntur
45 Heredoto	Herodoto
45 huius	cuius

56 l.4.villimus

ERRATA.	CORRIGE.
56 l.4.vllimus	uelimus
56 Confecto	confecto
61 Abundat linea sexta vniuersa, & lineæ quintæ verba illa videtur ob, & lineæ septimæ vox illa Maiestatem.	
61 lin.penult. Qui	Quæ
62 lin.2 ùt	&
62 lin.3 sint	sunt
65 cognoscitis	cognoscetis
78 audito	auditu
84 tecte	teste
84 frequentes	frequenter
85 Vico	Viro
85 l.vlt.videantur	uideatur
87 Arabie	Arabis
89 l.5.Ciroſsa	Crassa
89 Versalius	Vessalius
lecuerit	licuerit
sategerem	sategerim
90 hæc	hic
91 pleniq;	plenèq;
93 Obstitrix	Obstetrix
decipi	decepi
97 Argumento	Argumenti
99 Vrinam	Vrina
102 Analphabetum	Analphabetum
103 extrent	exirent
106 Caractetistica	Caracteristica
109 ne	næ
112 ab ingenuis hominibus	ab ingenuis Matronis
125 subsit corporis	subeat corporis
126 Difficulter, q; Rarò	difficulter, & Rarò
137 Sensim Pus obuij	Sensibus obuij.
140 Pecten	Pectinem
143 grata	gratæ
145 Mentium	Mensium

154 l.8.Textus deficit, & legere oportet, hanc tu prudens timeto.
In Applausu: maiori semper, semper abundat.
Ad exastichon, Alia, abundat.

Voti

Voti est potiùs, quàm rei, prodire Librum ex Typographorum taberna syncerum, nullis erroribus maculatũ: quapropter soleo ego nũcupare Typographicum Prælũ, Prælium: Experti nouere hos esse labores Sisiphæos. Aberam ego ab hac Vrbe Bononia peregrinans, dum hoc Opus excudebatur, & opportunò redij sub principium Sectionis alterius. Si quis hæret in erroribus condonandis, is erret, vel nimium sibi tribuens propter fortasse Inexperientiam Spei Nouercam, Non Matrem. Non adnotauimus Errata Leuiora, Doctorum iuditio illa relinquentes, quemadmodum & Interpunctionum, Abundantium, Deficientium, Permutatarum, quę omnia, veluti reliqua æquanimitati, Doctrinæ legentium corrigenda relinquimus. Valete.

ILLV-

ILLVSTRISSIMO
ATQ OPTIMO PRINCIPI
CAMILLO GONZAGAE
COMITI NOVELLARIAE,
BAGNOLI, &c.

Alę Cataphractorum Regis Hiſpaniarum;
Duci Egregio, Domino D. meo
Colendiſſimo.

MARCVS ANTONIVS VLMVS
PATAVINVS. S. P. D.

FOELICITER iam prodeat ſub tui Ampliſſimi Nominis præſidio Comes & Heros Illuſtriſſime, Opus hoc meũ, VTERVS MVLIEBRIS, *&* NOVVM, *& in Medica Facultate maximè* NECESSARIVM. *Huius verò pertinet Argumentum ad Cognoſcendam Temperiem Genitalium Partium, vel Vteri, Fœminarum: Quod eſt Alterum Principium Specificum (ego ſicuti dicere ſoleo) Naturâ ipſi Mari Compar Generis noſtri conſeruandi. Materiam hanc Græci Priores, inter quos Galenum quoq; adnumero, nihil prorſus (quod ego nouerim) Poſteriores autem vix attigêre: Arabes verò aliquouſq; progreſſi ſunt: Latini cæterum, qui fuere ſubſe-*

quuti, nihil porrò philoſophantes, tantum in veſtigijs Arabum perſtitêre. Hinc factum eſt, ùt ego, qui PHILOSOPHIAE, & MEDICINAE AMPLIFICANDAE Animum ſempèr addixi meum hoc Argumentum mihi ſcribendum aſſumpſerim, quod confitebuntur Mortales pereq; omnes (modo ſi quicquam ſentiant) eſſe in MEDICINA FACIVNDA ſummè Neceſſarium propter Morbos Mulierum Cognoſcendos, Prædicendos, atq; Curandos. Quapropter valde admirarer Phyſicos, & Medicos ſuperiores, Viros Doctiſſimos hanc Prouinciam non ſibi delegiſſe, ac ſubijſſe, niſi illud mordicus tenerem, quod alias & ſcripſi, & edidi.

Nulla foret in Poſteris agitatio Mentis Propria niſi Seruilis, quotieſcunq; cuncta Scibilia Priores agnouiſſent. Diſpenſauit Natura vnicuiq; Aetati Hominum Certam quãdam Cognitionis Portionem ſui ipſius Hinc vàrijs temporibus Certa etiã quædam Scientiarum ADDITAMENTA, ſed & Artium, prætereà, & INVENTA prodijſſe, prodire animaduertimus, ùt veluti ſingularium Spetierum exiſtit Flos, Folium, Fructus ſingularis, à pari etiam cuiuſcunq; Aetatis vèl Conatus, vèl Opus, vel Induſtria ſit peculiaris.

Conceſſumnè mihi fuerit pro rei Dignitate hoc Argumentum tractare, nec ſatis ſcio, nec ſi ſciam dicere auſim, narrabo tantum, & nequicquam mentiens alioqui ſoſpes non viuam, defuncturus Diris arripiar, mihi nec opinanti, quinimmo Phyſiologiam Facultatis Generatricis Humanæ ſcribenti hoc iſtud Argumentum quaſi Fulgetrum Oculis meis oblatum, tunc temporis Menti meæ occurriſſe. Monitum ſtatim arripui, & Genio (quod aiunt) indulſi meo. Notis Compendiarijs, & mihi familiari-

bus quicquid est delineaui, mox reliquæ spatio Hebdomadæ, nimirum Quatriduo exaraui.

Scripsi autem Charactere APHORISTICO scilicet presso, breui, CONCLVSIONES enim dixi, CAVSSAS non attigi. Vnde ipsis Medicinæ Candidatis Arduum interea temporis fuerit, atque Obscurum Opus hoc meum, non secùs atq; APHORISTICVM illud HIPPOCRATIS, in quo & ipse NARRAT, nòn LOCET, siquidem hoc fiat per CAVSSAS.

Atq; tantum est COMES ILLVSTRISSIME, quod præfari ad te volui, de hisce Vigilijs mihi iam peractis: Nunc autem subiungam Rationes, quibus ipse permotus hoc Mentis meæ qualecunq; Monumentum dicauerim Amplitudini tuæ? Fuerunt autem illæ præcipuæ. Quià Princeps, Quia Doctus existis. Quia me in tuam Clientelam perhumanitèr adeo recipere dignatus fuisti. Offerenda esse Opera Intellectus Contemplantis Principibus ipsis, aùt Viris Doctis, nemo homo profecto ignorat, modo si quicquam sentiat ille mortalium.

Primum illud indigitauit Diogenes Laêrtius in Philosophorum Vitis, quas edidit, siquidem loquens de Chrysippo Apollonij Filio Solensis hæc nobis reliquit.

Videtur autèm Chrysippus Aspernator immodicè fuisse, quòd cùm tàm Multa scripserit, nulli vnquam Regi quidquam adscripserit.

Sunt enim Principes Deo proximi, spetiem quandam, & vicem ipsius gerunt in hoc Mundo Sensibili, Intelligibilis illius Archetypi Simulachro. Principes vel Salutem, vèl Honores, vel Fortunas omnes Subditorum suorum curare debent, prætereá & sponte ijsdem Addictorum: Hoc autèm impense magis præstare tenentur in Studiosis Viris fouendis, erigendis, sed & quouis Gratiæ

Offitij

Officij genere extollendis, corroborandis, præter cætera vero Vna LIBERALITATE, Nam quicunquè Mortalium Contemplationi nauiter incumbunt, omnes ferè & Corpus, & Rem ipsam, Fortunasq; suas Minuunt, Attenuant. Addatur & illud huiusce Census Viros minus propterea indulgere posse, qua Populari Auræ captandæ, qua Circeæ, vel Artifici Aulæ tractandæ, quæ ambo sunt Personæ demerendi Gratiam cuiuscunq; Mortaliũ. Adeo nobismetipsis puerilitèr abblãdimur, Quamobrem Vates Hispanus Officia Principum respiciens canebat.

,, Sint Mecœnates, non deerũt Flacce Marones.

Cur autem Doctis dicanda sint Opera Intellectus Contemplantis, nullus non cognoscere promptissimè potest. Nam secundum Principes communi rectè sentientium Testimonio Sapientes ipsi censentur Primores esse Mortalium Deo etiam Optimo, Maximo Grati, quemadmodũ Plato, & eius Discipulus Aristoteles censuere. Mox ij, quibus, & quot laboribus, Vigilijs, Difficultatibus, Noxis Disciplinæ acquirantur, satis intelligunt: Quæ ut Animo præcipuè omnium Necessariæ, sic Corpori Inimicæ sentiuntur, existunt. Suadet præterea Sensus quasi Communis: Nam Hercules Picturam quis tribuat Ceco, nisi Desipiat ille? vel Surdo Tibicines nèc audienti Fides, cæterorumq; Musices Organorum suppellectilem dederit? Næ propius Fælicem Prudentiam ille Auctor videtur attingere, qui Regibus, aut Regulis Doctis, mox qui duntaxat Sapientibus Viris suas dedit Lucubrationes. Quas ob res Opus hoc meum (Illustrissime Comes), vel Dignitate, vel Vtilitate, vel Nouitate cunctis futuris ætatibus pergratum, (nisi labor turpissimè) quod erit, minuente sese in dies cum Inuidia, tum ipsa Malitia, dicare volui Amplitudini tuæ, Princeps enim tu, atq; Doctus pariter

ter existis. Veruntamen vt hæc ambo constent apertius, restentq; ipsi consignata Posteritati, obnixè rogo, patiaris pro tua Regia humanitate, quæ hactenus tantum verbo indicata fuere, interea temporis me breuibus, & summatim delibare.

Principio ex ea GENTE Comes Illustrissime nasceris, quæ plurium Aetatum nobilissima memoria locum tenet consensu omnium in hac nostra ITALIA, quam EVROPAE, totius COR soleo nuncupare, prorsus Eminentissimum. Non viuit homo ille, aut omninò Desipit, qui GONZAGAM Familiam, eiusq; Augustissima merita, Splendores, Honores ignorat. Ipsi Maiores Parentum tuorum, quotcunq; illi extitere, Ditiones, easq; vni tantum CAESARI addictas, & easdem peramplas obtinuere, quemadmodum testantur Annalia. DYNASTIA equidem tua intereá temporis cẽseatur Finium non longissimè promotorum ratione quasi Angusta, sed eadem tamen floret, viget AVGVSTA. Tu Regio prorsus imperas Iure. CAESARI obstrictus, quia Voluntate addictus. Veruntamen quod fuit vnquam Sæculum Vicissitudine Rerum exemptum, in quo non apparuerit certissime quemadmodum GENTIVM, VRBIVMQVE, ita IMPERIORVM nunc florere fortunam, nunc senescere, nunc interire? Sed quo diuersus abij? Maiores tui Princeps Illustrissime Regibus Exteris, & Galliarum, & Hispaniarum Imperatores magnorum Exercituum strenuè, fideliter militauêre. Nullus ferè Angulus Europæ, datur, in quo ijdem non erexerint nobilissima Trophæa Germani, Belgæ, Sarmatæ cognouerunt. Coniunxere autem Bellicæ Laudi Religiosissimæ Pietatis, Officia, & Monumenta. Superfedeo interim consultò ipsis, eorumq; facinoribus egregijs commemorandis,

morandis, ne volumen explere videar inopportunè, atq; breuibus attingã huiusce Aetatis qui Heroes fuere vel integerrimo testimonio Principum Contemporaneorum.

Frãciscus, Camillus Fratres Amplissimi Comites, & Patrui ambo PEDITATVS HISPANOS rexêre, atq; ùt de CAMILLO peculiariter dicam (ego cui Medicus inseruiui) nonne militauit diù sub CAROLO Quinto HISPANIARVM REGE, ac CAESARE AVGVSTO fortiter, àc fœliciter Egregius DVX? Quapropter eidem Intimus, & PHILIPPO Filio Regi admodum charus extitit, quod apertissimè declarauere turbulentissima tempora. Heros hic amplissima Singularis Documenta Religionis Viuens dedit, Moriens confirmauit. In Oppido nanq; Tuo NOVELLARIAE Templum Nomini Seruatoris IESV Sacrum à Fundamentis prorsus extruxit, cui & Magnificentissimas Aedes Artificibus Numerosissimisq; Conclauibus distinctas, Viridario ampliori, Syluula, Piscinis Piscatorijs ornatas, totius Generis etiam suppellectilibus instructas cum Oeconomiæ Sacræ, tum Politicæ adiunxit, Liberaliq; admodùm Patrimonio ditauit cuiusmodi Aedes Christianæ Religionis nostræ, & OCVLI, & MANVS Viri IESVITAE Comitiorum suorum Decretis dixere DOMVM PROBATIONIS: Aluntur hîc semper vltrà Sexagenarium etiam Numerum Christiani Optimates hoc sub Vexillo Nominis IESV Sacrosancti militantes, eidemq; DEVOTI Istud vnum IESVITARVM Societatis Templum, Aedes, Latifundiorum redditus longe multò & Mausoleis, & Pyramidibus, cæterisq; id generis Monumentis venit præferendum. SOCIETAS namq; IESVITICA est Bonorũ omnium ad Cælestem illam Patriã dirigentium, si paullò

acrius

acrius eandem introspicias, inexplebilis, sed & Amica Satietas; Hæc SPECVLVM existit Catholicum, Religionis nostræ GAZOPHYLATIVM, & Orthodoxæ Christianæ Fidei munitissimum ARMAMENTARIVM Hæc est ARENA vnde Olympionici Athletæ IESVITAE prodeunt verè Confessores, & Martyres, quæ Mores docet non solum Præceptis, Voce, sed OPERE, atq; Exemplis; Artium omnium Liberalium quasi EMPORIVM, Linguarum ARX; Scientiarum ARCHITECTONICES, breuiter SEMINARIVM virtutum omnium, & Politicarum, & Christianarum; Euangelij COLVMEN, sed & COLVMNA illa Mosaica, Hæreticorum IGNIS, INCVS, & MALLEVS. Qua ex Familia PHOENIX ille Doctrina exijt, Morib. COLVMBA, ROBERTVS BELARMINVS, verè scientiarum ANCHORA, vt cum Democrito loquar. Qui Salutari Exemplo, sed & Monitu à CLEMENTE Octauo D. Proued. Christi Vicario, inter Patres Purpuratos, & Conscriptos Senatores Pontificios ineffabili Bonorum, & Doctorum omnium virorum lætitia renuntiatus est.

Sed ALPHONSVS Parens tuus Heros omni etiam amplissima Laude superior, nonne Pietatis ergô in eodem NOVELLARIAE Oppido suo D. Stephani Templum omnino erexit à primo vsq; Lapide, consummauit? quod & largioribus Redditibus ditauit. Hoc vnum est ornamentum præcipuum huiusce oppidi, COLLEGIATAE nanq; Titulo insignitum perplures habet Canonicos Præsidente Archipresbitero, his autem inseruiunt aliquot Clerici, præterea & Sacerdotes, cuiq; pro ratione redditibus certis constitutis. Heros hic maximi

Animi, summi Consilij, singularis Constantiæ diù aduersa valetudine conflictatus, & negotiorũ immensa ferè destrictus mole coluit ipsas Musas, fouit benignè Studiosos Principibus, & Pontificibus propter perpetuum vitæ cursum fortiter actæ, Morumq; Candorem, Integritatem & intimus, & omnibus quibus innotuit summe charus.

Mater tibi Comes Illustrissime VICTORIA CAPVA, quæ GENS Princeps est inter Subsellia Primaria Neapolitanorum, Opibus, Ditionibus, Clientelis abunde pollens. VICTORIA Parens cum omnium virtutum suprema etiam Exempla fuerit supergressa, integerrimis operum Testimonijs docuit abundè Sexum Fœmineum nec momento (vbi acriter, sincerèquè dyudicent Mortales) virili esse inferiorem. Hæc Facundia Consilio, Diligentia, Viuacissimi dexteritate ingenij liberaliter instructa, longinqui, difficillimi itineris, Bruma rigente, superatis ipsis iniquitatibus apud Pontifices Summos, sæpius apud Rodulphum Cæsarem Augustum, aliosq; Principes ITALIAE nostræ, dum periculosissimis difficultatibus fere Gens Gonzaga Nouellariensis obrueretur, Animo præsenti ornatè, sapienter, atq; prudenter caussã suam dixit, sanxit; vt hæc vna Heroina, & verè VICTORIA Ditionem ipsam fere nutantem, atq; labantem non solum rexerit, sed & confirmauerit. Quapropter eandem COLVMNAM Alteram, nisi, & Singularem Gentis tuæ nũcupare solco, quia & ex COLVMNENSIVM Familia nascitur, & Victoriæ palmam felicissimè retulit. De te vere VICTORIA Heroina, de te inquam vere illud pronuntiari potest, quod vates cecinit de Scottorum MARIA olim Regina. Quid ni vos Pietatis, Religionis, cæterarumq; Virtutum Lumina,

quæ

quæ & credo futura etiam Dei Benignitate Numina inuicem comparem? Sexus Muliebris non huiusce nostræ tempestatis, at cæterarum, quæ fuere, quæ fuerint ornamenta præcipua? De te inquam verè cani potest VICTORIA CAPVA GONZAGA, SOL, & PHOENIX.

Quæ Sortem anteuenis Meritis, Virtutibus, Annos,
Sexum Animis, Morum Nobilitate Genus.

Sed hactenùs Familiæ tuæ Comes Illustrissime Supremam Nobilitatem nulli inferiorem volui leuiter etiam attigisse, spero enim si Diuina fauerint, Volumine peculiari Vniuersum Ordinem Maiorum tuorum aliquando per otium mihi descriptum iri.

Altera fuit caussa Illustrissime Comes, qua monitus hoc Operis tibi dicare constitui: Es enim DOCTVS, qui Humanioribus diù Studijs, & Liberalibus Artibus nauiter à Pueritia incubuisti in istud vsq; Quartum Aetatis tuæ Lustrum, quibus etiam delectaris non mediocriter Ingenio polles Acri, Subtili, atq; non solum Diligenti, sed & Deligenti. Indolis tuæ Præclarissimæ Argumentum sit illud, te ex ephebis iàm exeuntem Seuerissimo Iuditio, & Consummato PHILIPPI olim REGIS HISPANIARVM Ducem declaratum fuisse Alæ Cataphractorum, qui Ducatui Mediolanensi adsistunt. Cognouit Rex ille Fidei nostræ GLADIVS Acutus, & SCVTVM Adamantinum, satis nunquam Laudatus, Laudandusuè Te non solum Conseruandæ Maiorum Tuorum Eminentissimæ gloriæ, sed etiam Amplificandæ Cœlitus donatum.

Supereſt Veteris Clientelæ ratio præcipua, in eã nanq; iam abhinc multos Annos Maiores tui perhumaniter me, atq; benignè susceperunt, dum illis Tibiq; Puero, vna & Alphonso Fratri Iuniori Medicus assisterem. Quod

honorificentissimi officij genus mihi semper iucundissima recordatione gratum contigerit. Mox natu grandior Comes Illustrissime Tu non minori benignitate, gratijs, beneficijs me Clientem tuum fouisti, ornasti. Quin & discessurus cum Parente VICTORIA Iobælei caussa Romam ipsam, exinde vbi Annum Vndesexcentesimum supra Mille ferè vixi totum humanissimis litteris me euocastis, vt in Arce vestra Nouellariæ Magnificentissima adsistens Medicus Alphonso Fratri, quem alterum FABIVM, vel SCIPIONEM futurum arbitror, viuerem. Hîc Musis incumbens à Mense Decimo iàm elapso, non solum Opus istud, sed & eius Commentaria, in quibus CAVSSAE declarantur, præterea Physiologiam fere vniuersam Pilorum Humanorum, & eam, quæ pertinet ad Facultatem Generatricem Humanam elucubraui. Quapropter Opus præsens tibi iure tuo debitum Princeps Optime nemo non intelligit.

Restet itaq; huic Sæculo, & Posteritati Monumentum istud consignatum Obseruantiæ meæ, qua Te, Parentemq; VICTORIAM Suspicio, Reuereor, atq; Colo. Vos autem Religionis, Humanitatis, Prudentiæ Sincerissima Exempla Valete diu, ac Fœliciter, & VLMVM Patauinum quouis loco numerate modo semper inter vestros.

Datum ex Arce vestra Oppidi NOVELLARIAE, atq; Conclauibus honorificentissimis ad Subsidium positis, Mensis Iulij, Die vigesimanona, & mihi Natalitia. Anno post Mundum Redemptum MDC.

Amplitudini Tuæ Illustrissimæ

Seruus Addictissimus
Marcus Antonius Vlmus Patauinus.

MARCI ANTONII VLMI PATAVINI VTERVS MVLIEBRIS

Hoc est

De Indicijs Cognoscendi Temperiem Partium Genitalium Fœminarum.

Liber vnus.

PROOEMIVM.

PROPOSITVM nobis est interea temporis, Inuestigare conari, atque pro modulo nostri Ingenioli TEMPERAMENTA VTERI MVLIEBRIS, quæ Vna est Pars Alterius Principij Specifici, vnde Genus ducitur Humanum. Ambo verò Principia sunt Vir, ac Mulier. Natura etiam & Facultatem cuius dat, & Instrumentum. Non enim quauis Parte Mas, & Fœmina est, quemadmodum nèc Viuens, nèc Audiens. Itaq; alteri Vterus, alteri Coles datus est, ac Natura Vteri talis est, qua Parte Fœmina differt à Mare. Cæterum nouisse illa, vndè sumantur Argumenta interstinguendi Temperamenta Partium

noſtri Corporis, maximè omnium (ſi quid ſentio) ad Medicum pertinere videtur, modò eius interſit Naturam Humanam (quatenùs Generi datum eſt) conſeruare, labentem curare, & quantum licet illam ab ingruentibus Malis præſeruare. Cuiuſmodi Officia eatenus præſtare valuerit, quatenus artificioſa coniectura idem cognouerit ipſam Temperiem Partium, atq; Totius. Hic eſt ſingularis ille Cardo Medicinæ Rationalis, veluti nemo non dixerit, ipſa Cognitio Temperiei Totius, ac Partium Corporis noſtri. Vnde illud protritum, Medicus ſi ſufficit ad Cognoſcendum, ſufficit etiã ad Sanandum in ijs, quę fieri poſſunt, Quod etiam Phyſicè intelligendum eſt, non autem Simplicitèr, niſi Semper, at Sæpè, quæ ſecundum Naturam cenſentur, fieri contingit. Galen. Pręceptor huic Dogmati fauens dicebat:

Galenus primo de Arte Curatiua ad Glauconem.

Quantùm Vnumquodq; à Naturali Statu recedit, ad Tantam Morbus magnitudinem peruenit: Quantum verò recedit ſolus ille ſcire poteſt, qui Naturalem Statum exquiſitè Cognouerit.

Vnde ſumatur autem huiuſmodi Cognitio audite eundem, atque ibidem,

Si quis primùm diſtinxerit eam, quæ ſecundùm Ætates, Differentiam: deinceps autem eam, quæ ſecundùm Temperaturas, atq; Potentias, cæteraq; omnia, quæ hominibus inſunt, Colores dico, atq; Calores, Habitudines ſiq;, Pulſuum Motiones, Exercitia, Aſſuetudines, atq; Animi

mi

mi Mores: his quoq; adiunxerit eam, quæ Maris à Fœmina differentiam: & quæcunq; ad Regiones, & Anni Tempora, perinde aliasq; eius, qui nobis circumfunditur Aeris Constitutiones recto modo distinxerit: hic ad Propriam Laborantis Naturam agnoscendam proximè accedit.

Huiusmodi verò Cognitionem possimus habere Exquisitam necnè? & Quomodo, & Quatenus liceat? Alia Quęstio est. Constat sane illam esse Medico propositam si Rationalem vult Medicinam exercere: Quapropter illùc eidem omnem Satagentiam suam esse dirigendam nouisse debet ipsam, vt adipiscatur prò virili Cognitionem Temperamentorum, quando is Artis Opera, nempe Morborum Naturam, Prędictionem, Curationẽ eorundem iuxta Rationis Normam tractare concupiscat. His autem ita constitutis, fueritnè homo adeo Cęcus, & Excors, vt non intelligat Commentationem De Inditijs Temperamentorum Vteri Muliebris esse maxime omnium Necessariã, neq; solum Vnius ergo Sanitatis, Veruntamen & Spetiei scilicet Propagandę, Facultatis nempe Generatricis caussa, Cuius Actioni Vterus Muliebris pręcipuè inseruit. Pars GENITALIS, non autem INDIVIDVALIS, quatenùs Indiuiduum est Indiuiduum, Sed SPECIFICA, quatenùs Indiuiduum est Indiuiduum SPECIFICVM. Hippocr. loquens De Morbis Mulierum, nonnè indicauit Necessitatem, hac vtens Oratione?

Hip-

Hippocr. lib. de locis in Homine. Tex. 9.

Vteri Omnium Morborum Cauſſæ ſunt.

Quam orationem cum Præceptor Stagyrites le giſſet dixit in hanc ſententiam.

Ariſt. lib. 4. De Gen. Anim. cap. 7.

Mulier vna omnium Animalium Affectionibus vteri obnoxia eſt.

Sanè quantum ego hactenus, vel Mente, vel Artis vſupromoui animaduertiſſe viſus fui Mulieres Raro, & Perraras ægrotare, in quibus Vterus non exiſtat, aut Focus præcipuus, aut Fomes aliquis ipſius Morbi: Quapropter dicere conſueui familiariter Vterus Fœminarum niſi Radix, ſaltem Ramus, vel Stipes Morborum, ſeu Morbi illarum. Hominibus itaq; Medicis nulla non Cura, & Ingenio adnitendum eſt, quo cognoſcant earũ Vteri Partiumq; Genitaliũ Muliebrium Temperamenta, ſi Muliebrium Morborum Caracterem verum, atq; germanum ſubodorari, præterea eorundem Curationem Rationalem ſatagunt inſtituere.

Cœterum & Generatricis Facultatis Animę noſtræ Cauſſa oportet Medicos Phyſicos plurimum elaborare circà Phyſiologiam Indiuiduorũ Temperamentorum Vteri Muliebris, vel Indiuidua iſthæc Mas, & Fœmina Spetiei Principia vt iuxta Phyſicam Normam inuicem iungantur propter Facultatis Generatricis Operam, & Opus: Vel ſi extra ipſam Amuſſim eadẽ Principia fuerint con-

iugata,

iugata, saltem vt Arte (quatenùs licet) occurramus Oppugnaturi, & Expugnaturi eas difficultates quapropter tollitur effectus facultatis eiusdem Generatricis. Hoc autem fieri posse Q. Serenus Sammonicus Medicus innuebat hisce carminibus lepidissime eum cecinerit.

Irrita Coniugij sterilis si Munera languent
Nec Sobolis spes multos iàm vana per Annos,
Fœmineo fiat vitio res, necnè silebo
Hoc poterit Magni Quartus monstrare Lucreti.
Sed Natura tamèn Medicamine victa Potenti
Sæpè dedit Fœtus studio curante paratos.

Cuius beneficij occasione Ars Medica fortassis aptissime Nomen mereatur Diuinum, & eatenùs, quatenus operi Diuino famulatur, quæ est Generis Propagatio. Hæc vero Doctrina existit cùm Senioris, tùm Iunioris Præceptoris vtriusq;, hos aurem legite, audite ex eorundem Interpretibus.

Plato.

Et cùm primum ad certam Aetatem peruenerimus, Parere nostra Natura cupit: Parere verò in Turpi nequit in Pulcro potest: Viri sanè Mulierisq; congressu Fœtus, Partusq; prouenit. Est autem opus hoc DIVINVM, & in Animali ipso Mortali Immortale hoc est, Conceptio scilicet, ac Generatio.

Atq; paulò inferius ait.

Ex hoc enim similitèr, vt ex superioribus Natura Mortalis sempèr, & Immortalis esse pro viribus nititur: Hoc autèm Generatione duntaxat assequitur, quoniam semper

alterum Iuuenem veteris loco ſubſtituit.

Non deſunt quoq; alia Platonis loca, vnde poſſit quilibet idem accipere quemadmodum fecit Ariſtoteles, is enim hanc Doctrinam inſequutus dixit ex Interprete.

Ariſtotiles. lib. 2. de Anima. Tex. 34.

Nutritiua Anima & cæteris ineſt, & Prima eſt, & maximè cõmunis Animæ Vis, atq; Potentia, qua cuncta viuentia viuunt, cuius ſunt Operationes, Offitiauè, Generare, Nutrimentoq; vti. Hæc enim operatio maximè omnium Operationum Viuentibus eſt Naturalis, Viuentibus inquam hiſce, quæ ſunt Perfecta, non Membris capta, quæ non ſinè ſemine oriuntur. Vnũquodq; inquam aliud ſibi ſimile procreare, Animal quidem Animal, Plantam autèm Planta, vt ſint ſemper hoc pacto, conditionẽq; ſubeant, quoad poſſunt Diuinam. Id enim ipſum appetunt vniuerſa, gratiaq; ipſius omnia agunt, quæcunq; ſecundum naturam agunt. Duplex eſt autem id, cuius gratia omnia fiunt, atq; vnum eſt quo alterum cui. Cum igitur ſemper eſſe, conditionemq; Diuinam ſubire continuatione nequeunt Animantia, quia fieri nequit, vt caducorum, atq; mortalium quicquam idem, vnumq; numero ſemper permaneat, vt vnumquodq; poteſt, ſic Aeternitatis, conditionisq; Diuinæ particeps eſt, Aliud quidem magis, Aliud autem Minùs, Permanetq; non ipſum, ſed Tale, quale eſt ipſum, Numero quidem non Vnum, ſpetie autem Vnum.

Porro huiuſmodi Materiam, ſeù Phyſiologiam Inditiorum Temperamenti ipſius Vteri Muliebris Medicinæ faciundæ Muliebri adeo perneceſſariã,

Digni-

Dignitate adhuc nemini ſecundam (quod ego no uerim) nullus vel Antiquorum, vel Recentiorum tractare aggreſſus eſt quamuis teneat multos, niſi & omnes fere inſanabile illud ſcribẽdi Cacoẽthe. Attigere quidem nonnulli Antiquorum, & Neotericorũ nonnulla Capite Proprio, De Vtero; Sed qui ſeparato Volumine hanc materiam ſcripſerit, veluti nos interea commentamur Arti longę, Vitæ breui conſulentes, nemo hactenus fuit. Sed illud eſt maximæ admirationis occaſio, Galenum Præceptorem, Virum & Prudentiæ, & Doctrinæ propemodùm ſingularis in libro illo ſuo Artis Medicæ, vbi ſatagit inquirere, veſtigare Tẽperamenta Totius, atq; Partium Corporis noſtri, ne verbum quidèm vllum feciſſe De Notis, vnde conijciatur Vteri Temperies: Quæ nihilominus eſt Pars Princeps Specifica Facultati Generatrici deſeruiens. Facerent næ intelligendo, vt nihil intelligerent, ſi qui ad Aſinorum illud Aſylum confugientes dicerent. Vterus quia pendet à Temperie Totius, vel Partium reliquarum Principum, eius quoq; Vteri variam Temperiem à cognitione Temperiei Totius, cæterarumq; Partium Principum deſumptam iri. Vt propterea ſuperſedere huiuſmodi Phyſiologiæ narrandæ fuerit potius Prudentia, quemadmodum illi minutatim recenſendæ ingenium conuertere fuiſſet inconſulta loquentia. Phy, Cedocati recitent mihi homines iſtiuſmodi, niſi perſonæ, Atticiſſantes Rationem, quapropter Vterus vnus, quò ſpectat ad Temperamentum pendeat à Partibus reliquis Principibus, non autem Ventri-

culus, & Pulmones (omnitto alia nonnulla) vel hi à Corde, ille ab Hepate saltem? Quarum tamen Partium vestigandæ Temperiei Notas nihilominus tradidit Præceptor Galenus. Adhuc fierine potest (quæso Rationem consulant) ipse vt Vterus nulla obtinuerit inditia propria, ꝓpinqua, ex quibus liceat, nisi penitus, aliquousque saltē eius Temperiem vestigare? Cuiusmodi tamen signa nulla est fere pars nostri corporis, quę sibi non hadeat adiuncta? Modo hæc si adsint aliqua, veluti nemo, nisi sensus expers cōmunis) negauerit adesse, cur non fuere nomine tantum indicata ab eodem Galeno Pręceptore? Postremone de Lęthargicis Phreneticas faciamus id generis Pecudes, Cathenata Maiorum Seruitia quæro vnum hoc de istis. Temperamentum inæquale nonne datur? Quis adeo potritæ aut nullius Frontis Homuncio audeat inficiari? Hoc posito, quod sensu constat. Quanam ratione cognouerimus Vteri Temperiem à Temperie cæterarum Partium Principum dissidentem? Natura nimirum illa Architectatrix cuius summam Sapientiam, atq; Iustitiam in Corpore conformando Humano Rationalis Animæ Organo, Intellectu non dixerim (hoc enim fieri nequit) sed Admiratione satis consequi non possumus; Natura illa, quæ Testimonio Phylonis Iudæi est Ars Diuina, fingens Vterum, Humanæ Spetei propagandæ Officinam vsqueadeò supinè, ac negligenter se gessit, omnino sui ipsius oblita, vt nullum peculiare inditium tradiderit intimum eidem parti, ex quo valeamus nos conijcere ipsius

Tem-

Temperiem? An mihi licuerit minus interea temporis aptè illud Satyricum Stentoria voce inclamare? curandorum huiusmodi ingeniorum causa?

Currite iam Medici, Mediam pertundite Venam.

Heheù, Eloquar, an Sileam? Dixero tamen, vt impetant me Canes non defore suspicer. Nam fere vbiq; & apud omnes veritas est odiosa. Vna facultas Medica, quæ sine dubitatione, proxima, & quasi consanguinea est ipsi naturæ tam discentibus indiget fortasse, quàm Magistris. Hoc autem non simpliciter, ex Toto, sed magna ex parte intelligi volumus. Næ quadrat huic Tempestati Deploratio illa Præceptoris Iunioris Medici. Audite, Legite.

Galenus lib. 2. Meth. Med. cap. 5.

Itaq; ob hæc ipse quoq; sæpiùs destiti Commentarios de Medendi Methodo scribere, pro comperto planè habens, paucissimos huius Tempestatis ab ijs adiutum iri. Etenim nisi magna quapiam, miraquè κατ' ἐξουσίαν. Rerum mutatio humanarum fiat, actum de bonis studijs est, vtpotè confusis, & corruptis: Nemine veritatem ipsam, sed tantum Scientiæ famam quærente. Optimè enim profecto scis, ne quemquam quidem vsquam inuenisse nos, qui esse potius, quàm videri Docti cuperent. Atqui nisi quis sapientiam propter seipsam expetat, ne tempus quidem vllum inueniet, quo se in Logica Methodo exerceat, imo & Diuitijs, & Potentiæ Ciuili, & Famæ inhians in horum ambitu vitam omnem consumet.

A pari nostris quoq; Temporibus nil vlterius Miseri satagunt quam Laurea scientiarum dona-

ri, quod aiunt vulgo, DOCTORES fieri, vt ipsa Toga, quasi Hedera vendibiles, Popello caudam specioso Titulo iactare possint, Mox Assentatione Duce, nullo non Fuco, & Lenocinio vtentes, immiscent sese Potentiorum Domibus, abutentes credulitate, & ignorantia eorundem. Nam cuicunq; Medicum se professo statim creditur, cum sit periculum in nullo mendacio maius. Aiunt, pecunia est Princeps in omni negotio, hæc Imperium obtinet, hæc parat potentiam, huic studeamus, huic inuigilemus, huic nosmetipsos dedamus totos, Modo si quis aiat, Stulta pecunia est, ij tunc petulanti Splene cachinno diffluentes obtrudunt. Stulta equidem pecunia est, at eadem Fortunata, & Fælix.

Vilius Argentum est Auro, Virtutibus Aurum.
O Ciues, Ciues, quærenda pecunia primum est
Virtus post Nummos

Pecunia Regnat, atq; pecudes sole sine pecunia viuunt, aiunt nimirum Blasphæmi isti.

Manus AVREA Vincet.

Plùs opibus, minùs ore potes. Cicerone secundo
Non opus est, vbi Fantur opes.

Sic ignari, & ignaui Fuci satagunt per compendia, per Summulas contemptissimi quiq; Mortalium vno sub adulationis vexillo parare sibi, iure, iniuria, Crassorum, & Crœsorũ latifundia, Ibi enim fas, aiunt, vbi maxima merces. Iustitiam, sapientiam vtilitate metiuntur. Iam philosophantur

Aratris,

Aratris,& Bubilibus nata ſeruitia,& artẽs, facultates non promoueri quotidie pueri lamentamur. Veruntamen Turdi, & iſti miſelli ſibi malum cacant, cognouerint poſtremo; Nam Deus ipſe Tarditatem Supplicij grauitate compenſat, Cuius iuditia occulta ſunt multa, iniuſta autem nulla. Maneat hoc Virgilianum ijs alta mente repoſtum.

Diſcite Iuſtitiam moniti, nec temnere Diuos.

Quæ meminiſſe, atq; intellexiſſe debent illi etiã huiuſmodi Fucis,& Fungis,qui patrocinantur,aduerſarij nobiliſſimis ingenijs,& liberalibus. Neq; enim cuiquam tam clarum ſtatim ingenium eſt,vt poſſit emergere, niſi illi Materia, Occaſio, Fautor etiam, Commendatorq; contingat. Sed ſpecioſum hoc,& egregium offitium ſtudioſos fouendi iampridem exoleuit. Nam poſteaquam virtutibus renuntiauimus, ab earundem quoq; Alumnis erigendis ceſſauimus: atq; vbi deſijmus facere laudanda,laudari etiam ineptum putamus. Quamuis multi famam,pauci conſcientiam vereantur; Sed grauiſſimus eſt morbus,niſi pernicialis,qui à capite diffunditur. Pax. Vrgeamus nos propoſitum, vnde nos tranſuerſi fuimus abrepti cœcitatem noſtri ſæculi deplorantes, quoniam veternoſæ conſuetudinis vis nimis in alto radices habet.

Galeni omninò intererat in Arte ſua Medica Vteri Temperiei notarum deprehendendæ meminiſſe,vt eius Temperies (veluti aiunt) ſequatur partium Principum reliquarum ipſam Temperiem. Præceptor ſi viueret ore fateretur atq; rotundo, ſe hac in re defeciſſe: Quod Galeniſtę caſtigato-

ſtigatorum oſores aſperrimi dictum execrandum cenſeant. Animi tamen eſt ingenui, errorem vbi cognouerit ſuum, eundem liberè, ac liberaliter nudata fronte confiteri, palam deinde ipſimet renuntiare. Quis veritati hoſtis, niſi turpe Mancipium? Docti, prudentes, liberales viri & verum dicere conſueuerunt, & idem libenter à cæteris audire. Neq; vlli patientius reprehenduntur quàm ij, qui maximè laudari merentur. Error quippe eſt hominis eidemq; omnes viuunt obnoxij: Demus itaq; alienis erroribus veniam, vt noſtris impetremus. An illud Poeticum non ſatis adhuc intelleximus?

Ac prius ignotum ferro quàm ſcindimus Aequor,
Ventos, & varium Cæli prædiſcere morem
Cura ſit, ac Patrios, Cultusq́, Habitusq́ Locorum:
Et quid quaq; ferat Regio, & quid quaq; recuſet.
Hîc Segetes, illic veniunt fœlicius vuæ
Arborei fœtus alibi, atq; iniuſſa vireſcunt
Gramina. Nonnè vides Croceos vt Tmolus odores,
India mittit Ebur, Molles ſua Thura Sabæi
At Chalybes nudi Ferrum, Viroſaq́ Pontus
Caſtorea, Eliadum palmas Epeirus Equarum.

An Galenus vnus intèr cæteros Mortales natus erat, qui omnia poſteris dormituris conficeret? Sanè veluti alias diximus in opere quidem excuſſo, at Malignorum Turbellis adhuc non publicato. Nulla foret in poſteris agitatio mentis propria niſi ſeruilis, vbi cuncta Scibilia priores cognouiſſent. Diſpenſauit natura prouidentèr, benigne

(si quid ego sentio) vnicuique hominum Aetati certam quãdam cognitionis portionem sui ipsius, cuiusmodi opinionem videtur quoq; habuisse Doctissimus Philosophus, & Poeta super omnia celeberrima etiam exempla genitus Torquatus Tassus patria Salernitanus, ipsa vero Gente Patritius Bergomensis, qua ex Vrbe nobilissima, & parentes, maioresq; nostri oriuntur, at ipsum Tassum legatis, audiatis.

Torquatus Tassus Bergomensis libro xv. Solymos.

A queste hor vien la Donna, & homai sete
Dal fin del corso lor dicea non lunge
L'Isole di Fortuna hora vedete
Di cui gran Fama à voi, ma incerta giunge
Ben sono elle Feconde, e Vaghe, e Liete
Mà pur molto di Falso al Ver s'aggiunge
Cosi parlando assai presso si fece
A quella, che la prima è delle Diece.
Carlo comincia alhor, se ciò concede
Donna quell'alta impresa oue ci guidi
Lasciami hormai por nella Terra'l piede
E veder questi inconosciuti Lidi
Veder le Genti, e'l culto di lor Fede
E tutto quello, ond'huom saggio m'invidi
Quando mi giouarà narrar altrui
Le Nouità vedute, e, dir io fui.
Gli rispose colei, Ben degna in vero
La dimanda è di te, mà che poss'io
S'egli osta inuiolabile, e, seuero

Il Decreto de Cieli al bel Desio?
Ch'ancor volto non è lo spatio intero,
Ch'al grande Scoprimento hà fesso Dio
Nè lece à voi dall'Oceàn profondo
Recar vera notitia al vostro Mondo.
A voi per Gratia, e sourà l'Arte, e l'Vso
De Nauiganti ir per quest Acque è dato
E, scender là, doue è l Guerrier rinchiuso,
E ridurlo del Mondo all'altro lato
Tanto vi basti, e l'Aspirar più suso
Soperbir fora, e calcitrar col Fato
Qui tacque, e gia parea più bassa farsi
L'Isola Prima, e la Seconda alzarsi.

Hæc dispensatio Cęlestis, cuius videtur effectus, nęc tamẽ satis intelligitur, manifestat nobis ex parte ordinem illum, & harmoniam, quæ numerum, pondus, atq; mensuram includit. Hinc varijs temporibus certa quædam artium, scientiarum additamenta, sed & inuenta prodire animaduertimus: Historiarũ docti satis nouere. Præterea quicunq; dispunxisse voluerint rationes operum artificum intellectus practici fere semper, & salubriter parientis, Ac vbi fatendum sit ingenuè quid quisq; sentiat. Nullam ętatem extitisse arbitramur in qua non fuerint eminentissima ingenia vel artium, vel scientiarum, quæ nisi floruerunt populari fama, extiterunt, sunt. Consenuere quidem plura, atq; in tenebris delituere sæculi præsentis, at vitio eorum, quorum maxime interesset id generis negotia curare: Docti tamẽn viri Aspendium imitantes Musis, atq; adeo sibimetipsis non insuauiter

vixere.

vixere. Nam vere scripsit vir doctus Aeneas Gazæus in Theophrasto.

Statuariam artem Phydias nouerat, atq; etiam bonus erat Artifex, & si non in Arce Athenienſe, ſimul & in Olimpia ſtatuas erigeret.

Subodoratus est hoc Genus Mortal um Iunior Plinius, quapropter scripsit.

O quantum eruditorum, aut modeſtia ipſorum, aut quies operit, aut ſubtrahit Famæ.
Plenius dictum foret quotieſcunq; addidiſſet
Aut aliorum obruit venenata malignitas.

Quadrat enim vt cum maxime noſtro huic ſæculo. Secundus loquebatur autem de Terentio Iuniore, qui Equeſtribus Militijs, atq; etiam procuratione Narbonenſis Prouinciæ integerrimè functus recepit ſe in Agros ſuos, ſperatisq; Honoribus tranquilliſſimum otium prætulit.

Hunc ego inuitatus hoſpitio vt bonum Patrem Familiæ, vt diligentem Agricolam intuebar, de his locuturus, in quibus illum verſari putabam, & cæperam, cum ille me doctiſſimo ſermone reuocauit ad Studia. Quàm terſa omnia? Quàm Latina? Quàm Græca? Nam tantum vtraq; Lingua valet, vt ea magis videatur excellere, qua cum maximè loquitur. Quantum ille legit? Quantum tenet? Athenis viuere hominem, non in Villa putes. Quid multa? Auxit ſolicitudinem meam, efficitq; vt illis, quos Doctiſſimos noui, non minus hoc Seductos, & quaſi Ruſticos verear. Idem ſuadeo tibi. Sunt enim vt in Caſtris, ſic etiam in Litteris noſtris plures cultu Pagano, quos Ciuctos, & Armatos, & quidem ardentiſſimo ingenio diligentius ſcrutatus inuenias.

Plures & nouimus nos id generis mortales, dum

peregrinantes quasi Medicinam facimus vel quauis ingenij dote longe præponendos vt Oppidani fuant Medici) Suggestiscientibus nonnullis Thessalis, qui adulatione, multisq; alijs execrandis vitijs regnant obsepti, qui ipsas scientias vix à limine salutarunt, ignorantq; penitus artes humaniores. Sed vt docti viri interim obruantur numero, ac iuncto vrabone Phalangibus Fucorum, & Fungorum Homuncionum illos tamen ventura quotquot erunt sæcula prædicabunt. Alet etiam vnaquæq; ætas ingenia eminentissima, neq; enim quasi lassa, & effœta natura nihil iam laudabile parit, pepererit. Quinimmo artes, atq; scientię & amplificantur, & inueniuntur dum ætates nec momento à fructuosis laboribus cessantes, quasi tradentes lampada sibimetipsis benigno ministerio suffragantur. Hinc doctè cæcinit Lucretius Carus.

Sic vnum quiduis paulatim protrahit Aetas
In Medium, Ratioq; in Luminis protrahit oras.
Nanq; Aliud ex Alio clarescere Corda videbunt
Artibus ad summum donec venere cacumen.

At sufficiemus nè huic nos oneri? Est enim prima Prudentiæ pars nouisse quid possis, veluti ego sentio, declarare vt valeamus inditia ex quibus veterorum temperamenta varia dignosci possint. Næ turpis est ipsa temeritas, sed fortasse desperatio turpior. Omnino quod in Oratore iam Marcus Tullius rectissimè dicit, Par est eos, qui Generi Humano res vtilissimas conquirere, & perpensas, explorata sq; memoriæ tradere concupierint, cuncta tentare, Nec si vel illa præstantis ingenij vis, vel inclitarum

tarum Artium defecerit instrumentum, cõfestim debemus ad otium, & inertiam deuolui, sed quod sapienter speramus, perseueranter consectari: Summum enim culmen affectantes, satis honestè vel in secundo fastigio conspiciemur. Breuiter in omni genere facultatum, atq; scientiarum, & summis admiratio, veneratioq;, & inferioribus merita laus contingit, legite, audite Senem Præceptorem.

Hippocrates lib. 1. De Diæta in Procœmio.

Nunc vero multi quidẽ iam scripserunt, Nullus autem rectè nouit, quid fuerit ipsis scribendum? & aliud quidẽ alij assequuti sunt, verùm totum nullus adhùc ex prioribus. Immeritò autem vllus aliquis ipsorum reprehendatur, propterea quod inuenire non potuerunt, Immo laudandi potius omnes, quòd inuenire conati sunt.

Vrget nos officij ratio, qui liberaliter nati, & in studiorum Arena iugiter enutriti ab ipsa ferè infantia debemus propterea & humani cætus legibus, & diuinis parere mandatis. Quorsum tot euigilatæ Noctes? tot exantlati labores, nisi & nos testimonium perhibeamus vixisse aliquando, neq; nobis tantùm, sed & cœteris mortalibus. Vrit etiam nos gloriæ sęuæ cupido. Me siquidem ipsius diuturnitatis amor sollicitat, res homine dignissima, itaq; diebus, ac noctibus cognito, si quà me quo possim tollere humo, Id. n. (vt ille ait) voto meo sufficit, lludq; suprà votum, victorq; virùm volitare per ora: quanquam ò, sed hoc satis est. Posteris an aliqua cura nostri, nescio: Nos certè mə-

remur

remur (verbo absit inuidia) vt si aliquâ, non dico ingenio (id enim superbum) sed studio, sed labore, sed reuerentia posterum. Nonne scripsit.

C. Plinius Restituto suo. 5. lib. sexto Epist.

Equidem omneis, qui aliquid in studijs faciunt, venerari etiam, miraríq; soleo, est enim res difficilis, ardua, fastidiosa.

Qui abhorrent noua, seù dedignantur, non intelligunt honestissimum esse maiorum vestigia sequi, si modo recto itinere præcesserint sed legant, audiant Cornelium Nepotem.

Vt quid ab Antiquo Vatum proscripta Tumultu
Veri Sacra Fides longum sylu scis in Aeuum,
An quia spreta lates? Mundoq; infensa Priori
Nos etiam nostenda fugis? mecum inclyta mecum
Exorire, & vultum ruga leuore resumens
Phœbeam dignare tubam, Steril sij; vetustas
Erubeat, dùm culta venis, dùm libera Frontem
Exeris, en Aureis blandas, en Pectus Amicum
Mulcem, vulgarem leuius passim Cachinum
Si nostris nil Dulce Nouum, nil vtile visum
Quod teneri pariunt Anni, si sæcula tantùm
Aurea Saturni memorant, & nulla Recentis
Gratia virtutis. Audetamen Ardua Pubes
Mento Canescant Alij, Nos Mente: Capillo
Nos Animo: Facie, nos Pectore: Tempora certè
Virtutem non Prima negant, non Vltima donant.

Res equidem est ardua, nouis autoritatem dare: Obsoletis Nitorem: Obscuris Lucem: Fastiditis Gratiam: Dubijs Fidem, sed non assequutis voluisse

luisse abunde pulchrum; atq; Magnificum est.

Nascitur in Vitis Liuor, post Fata quiescit:
Tunc suus ex Meritis quenq; tuetur honos.

Scripta semper magis placent ab Autoris morte: Gratia quæuis & dignitas saciet ate langueſcit. Hoc tamen est animi sapientis, atq; prudentis, optima satagere, & spetare; cogitare difficillima: Ferre quæcunq; erunt. Subibo itaq; alacer hoc, quicquid est discriminis, ac (vt ille ait) pro virili aquam infundam in sacrum hunc ignem; hoc excusatius, quòd cogitata mea, quasi Donsilia, nõ Decreta adfero, Tu qui legis auditis scito hæc à pura mente dimanare, & si ipsa aliter, subijci à me ijs, quorum propria cognitio hæc, & censura. Memento vero super omnia, Inuentores quoscunq; ferè claudicare, vt doctissimè scriptum fuerit à Præceptore.

I. Cæsar Scaliger ad Cardanum.

Perquam paucis intentio data est, & quibus data, data est Mutila, & inchoata.

Sanè perfecta, & consummata (nisi ego insanio) longe absunt à principio quod respiciens Præceptor Iunior Medicus in hãc sententiam scripsit.

Gal. in l. Hipp. de Rat. Victus Comm. 2. T. C. 36.

Fieri nequit, vt libro vno præsenti bene omnia scribat Hippocrates, atquè ordine doceat, præcipuè cum ipse primus horum inuentionem sit molitus.

Diffi-

Difficile ēst enim ſemper, quòd eſt rectiſſimum aſſequi, nihilominus quæcunque, quantulacunq; ſint inuenta ſummis laudibus extollēda ſunt, quod habemus à Præceptore Præceptorum ipſius Medicinę dicente:

Hippocrati lib. de veteri Medicina Tex. 24.

Admirari oportet, cenſeo, ea; quæ ex multa ignorantia ſunt erutæ, & inuentæ, quòd probè, & recte adinuenta ſunt, & non à Fortuna, aut Caſu.

Si quis autem parum gratus homuncio, ne dicam, omnino malus, & ignorās aiat, hoc quicquid ēſt ſcripturę Mangonium eſſe, me Interpolem Autorem, & Gręcis, Arababibus cuncta referri oportere, ſuam potius detegit virulentiam, & malitiam, & inſcitiam, quàm vel hilum offendat, iuſteq; damnet conatus, tentamentaq; noſtra. Sint aliqua, & plura, quæ fuerint à maioribus deſumpta. An ſit in Priſcorum Sapientum Docta ſequi uēſtigia? At non reddidiſti, quæ ſumpſiſti. Nouum ſcribendi genus execrandum. Quę retulit Ariſtoteles Platoni, atq; adeo uetuſtioribus illo Scriptoribus? Quæ Auicennas? Quæ cęteri? Ne cęteros interea Scriptores enumerem mutuatos dogmata ſcripta ſuis tamen parentibus autoribus accepta, qui non retulerint. Sciens, lubens, ac uolens interea ceſſo à nominandis Neotericis, hoc uexilli tenentibus, qui non ſcripſere, at penitus exſcripſere Ioannes Fernelius uir nunquam ſatis laudatus, laudandusuè (quē honoris gratia nomino) ſcientiarum

prope

prope omnium Principum curioſiſſima cognitione nulli poſtponendus, vel ad ſęculorum quorumcunq; actorum memoriam comparatus Medicinam fere vniuerſam docte, ſcitè ſcripſit caractere Phyſico quadrato, quamuis eandem reliquerit nobis Auicennas huiuſmodi congreſſum tanti viri nō expauit Aetatum decurſu nihilominus comprobati. Fernelius nihil non ab Antiquis deſumpſit, & neminem is compellauit nominatim. Quapropter reijciatur, explodatur, exibiletur mango, & interpoles Autor. Vah quæ malum eſt hæc fęx, cęnum, & colluuies hominum, at pecudum potiùs, canum oblatrantium rabidè? Hèm hęc laborum, vigiliarum merces, & meſſis? nempe nullus calumniarum modus, omnino verum eſt, quod ſcripſit Plato.

Plato:

In quouis Studio viles, & nullius pretij homines permulti ſunt, Probi verò admodùm pauci, quos maximè in pretio habere oportet.

Vnaquęq; Artium (veluti ego dicere ſoleo familiariter) ſuos habet Clodios, & Milones: Catilinas, & Cicerones, illud tamen famoſum Plutarchi ſolatur me.

Regium eſt audire malè, cum facias benè.

Sed eo imus, quò omnia ibunt: Et ſuum cuique decus benigna ſatis rependet poſteritas, veruntamen Hippocratem ipſum legatis, audiatis.

Hippocr. in Procœmio lib. 1. De Diæta:

Propterea verò hunc sermonem propono, quod multi homines, vbi audierint aliquem priùs de re aliqua exposuisse, eum, qui de his posterius disserit, non recipiunt, non cognoscentes, quod eiusdem intelligentiæ est, ea, quæ rectè dicta sunt, posse iudicare.

Consulant ignaui, ignari homunciones, & veterum, & nostra scripta, sed ea lege, vt curiosissima lance cuncta pendantur, sanè tunc ij cognouerint (modò vnciolam teneãt sensus ipsius communis) quousq; Priores, quousq; nos fuerimus in hoc docendi negotio progressi. At nemo quisquam cæteris omnibus ęquè satisfaciat, & si satagat, vrgeat Sysiphi molem, ac nihilo plus agat, quàm vt cùm ratione insaniat, Dictum itaq; fuerit prudenter, sapiens nullum stomachum habeat. Cęterum velint, nolint maleuoli (hoc ijs extorquebitur inuitis & rumpantur Ilia Codris) laudabitur semper vel conatus, noster, vel ipsa indicatura, quam nemo hactenùs olfecit (quod ego nouerim) mortalium, presso nimirum docendi, atq; narrandi caractere partis Principis Genericę, vel indiuidui specifici (qualis est vterus) notas, & inditia volumine tradere seperato, vnde possimus coniectura artificiosa subodorari varietatem vteri temperierum eiusdem. Non ignoro Satrapas aliquos non defore (veluti Mundus in maligno positus est) interrogatos de mea scriptura ista, iunctis corrugatisq; labris capita illa obstipa laterorsum sẽsim obliquaturos, principio nec tantillum hiantes, Mox illud mus-

ſaturos Vuh, tandem boantes erupturos, vt Arcadię Pecuaria rudere dicas, Libellus non deſplicet. Voluntas Autoris laudanda: Aetas etiã adiecerit. Papę, At ò tu Satrapa.

Nequaquam Populo bibulas donaueris Aures
Reſpice quod non es, tollat ſua munera Cerdo
Tecum habita, noris, quàm ſit tibi curta ſupellex
Deſine èt Antyciras melior ſorbere meracas
Nunc face ſuppoſita ferueſcit ſanguis, & Irà,
Scintillant oculi, dicisq́, facisq́, quod ipſe
Non ſani eſſe hominis, non ſanus iuret Oreſtes.

Haud nego ipſam Aetatem addituram, ſed aio, & multa forſitan mihi dempſerit, Mirum, quaſi ego homo ſim extra hominum cenſum. Nec mihi obijciant, quę ſcribuntur à Plinio Nepote.

Plinius lib. 1. Epiſt. & Epiſt. 20.

Et Hercule vt aliæ bonæ res, ita bonus liber melior eſt quiſq; quo maior. Vides vt Statuas, Signa, Picturas, Hominum deniq; multorumq́, Animalium Formas, Arborum etiam, ſi modo ſint decoræ, nihil magis, quàm amplitudo commendat: idem orationibus euenit. Quinetiã voluminibus ipſis Autoritatem quandam, & pulchritudinem adijcit Magnitudo.

Puerilis obiectio, quam oratio eiuſdem intellecta iugulat. At eſt libellus, do, quin & ſit libellulus. Queram ego molem voluminis, aut grandi-tate quaſi lydio lapide cenſeantur Scripturę. Veritas, dignitas, neceſſitas materię ipſiusq; rei tractatę eſtimatur in pendendis operibus non autem ver-

borum nugacitas, pompa,& loquentia inanis oratio Phyſica eſt Matrona, eiuſq; manus,& oculi sũt veritas perſpicuitas, Relinquendi ſunt orationis Cincinni in foro,quod ſi ſecùs ſentias cęcus.

Nugaris Puer Solea obiurgabere rubra.
Non equidem hoc ſtudeo pullatis vt mihi nugis
Pagina turgeſcat dare pondus idonea Fumo.

Non iſthęc nos loquimur fruſtrà: ſed cato ſilentio multa ſunt cuiq; diſſimulanda, & deuoranda. Catones iſti, nam plures iam Ecaſtor de cęlo ceciderunt,cenſentes noſtras Scripturas ex Mole,ij exiſtunt, qui ſcribentes notantur ab eodem Satyr.° hi nimirum.

Torua Mimalloneis implerunt Cornua bombis
Et raptum Vitulo caput ablatura ſuperbo
Baſſaris,& Lyncem Menas flexura Corymbis
Euion ingeminat, reparabilis adſonat Echo.
Hæc fierent, ſi Teſticuli vena vlla Paterni
Viueret in nobis? ſumma delumbe ſaliua
Hoc natat in labris, & in vdo eſt Menas, & Atys
Sed tamen iſta Filix nullo manſueſcit Aratro.

Quę dicta voluimus ad caſtigandam, & reprimendam Sciolorum quorũdam nimiam arrogantiam,& petulantiam,qui ſutores vltra crepidam ſapere ſibimet perſuaſere. Caligant vſqueadeo homines ſua cenſentes, atq; ſemetipſos. Familiare ſiquidem eſt mortalibus, fere ſingulis omnia ſibi ignoſcere, nihil vero alijs remittere, & inuidiam rerum non ad cauſſam, ſed ad voluntatem, perſonasq; dirigere.

Poſtremò non deerunt qui cognoſcentes veri-

tatem

tatem doctrinę meę, eandem publico testimonio confiteri noluerint, autumantes laudem quam alijs tribuunt, in eorundem laudantium cedere vituperationem, cuiusmodi homines Plinius doctissime suggillauit.

Hinc miserę illę Medicorum circa Aegros consultationes, nullo idem sentiente, ne videatur alterius accessio.

Veruntamen & Galenus, quem audite, legite.

Gal. lib. de bono, & malo succo cap. 1.

Solis illis occæcata erat ratio, qui ab Hippocratis doctrina de succis deficientes, quiduis potius quàm succos caussari audent. In quibus tamen fuere, qui clam apud me faterentur, se conspicere quidem satis quàm prouicacitèr cum Hippocrate agerent, qui succos negarent ad bonam valetudinem, nec ad morbum bene, aut male facere posse: Pudere tamen iam exacto quinquagesimo Aetatis anno ad Hippocratem transfugere.

Omnino isti potius dignitati suæ, quam veritati fauere volunt, & hi sunt, quos pudebit nostras laudare lucubrationes. Alterum est genus oppido nequam dicentium homuncionum. Nos Medicinam hucusq; fecimus, & feliciter, iuditioq; omnium doctè absq; hac Physiologia Indiciorũ Vteri Muliebris, quapropter insidentes vestigijs primis nolumus hęc tua ò Vlme Patauine addiscere, videre, tractare.

At vobis non scripsimus Personę Medicę, quinimo doctis viris, & vere Medicis, qui artis pręcepta cum studio sapientię coniunxerunt, hi .n. sunt

verè

verè Medici, & veri Medici, ſed ò tu nequam, & perſona qui mihi detrahis, Verres Medicus exiſtis. At ne vos vobismetipſis abblandiamini cum dixeritis artem feliciter à vobis fuiſſe tractatam abſque ſignata cognitione Temperiei Vteri Muliebris in ipſis Mulieribus, audite, legite, Hippocratem.

Hippocrates lib. de Arte Tex. 5. & 6.

Dicet ſane hìc Aduerſarius, quod multi iam Aegri etiam citrà Medicorum vſum ſunt ſanati: & ego id dicentibus credo. Videtur autem mihi omnino fieri potuiſſe, vt & qui Medicis non vſi ſunt, in Medicinam inciderint, non tamen vt ſcierint, quod in ipſa rectum fuerit, & quod non rectum: Alioqui contigiſſet, vt ſeipſos eodem penitùs modo curaſſent, quo curati fuiſſent, ſi Medicos adhibuiſſent. Et hoc tandem magnum ſignum eſt eſſentiæ ipſius artis, nempè artem eſſe, & quidem magnam, quando ĕt hi, qui eã eſſe non putant, per ipſam ſeruati apparent.

A pari videtur & mihi fieri poſſe, ut dum vos tractaretis Medicinam Muliebrem ignorantes Vteri ipſam Temperiem, incideritis tamen in Medicinã opportunam, non tamen, ut uos eam cognoſcereris. Quid? Quod nonne medentur & Empyrici, atq; adeo feliciter, ut nil ſupra.

Nec tu cum obſtiteris ſemel, inſtantiq; negaris
Parere imperio, rupi iam vincula, dicas.
Nam luctata canis Nodum arripit, aſt tamè illi
Cum fugit à collo trahitur pars longa cathenæ.

Summa ſummarum alloquor Doctiores, & Doctor. Si quis habet meliora det, & à nobis ineat gratiam. Si Aetatem deſpiciunt noſtrum. Recor

dentur

dentur ij, nec tamen Canis Naturam cunctarum rerum dediſſe prudentiam, nam etiam quicunque ſunt habiti mortalium multa ſciſſe dicuntur, non omnia. Quapropter

Inuigilate viri, tacito nam tempora curſu
Diffugiunt nulloq; ſono conuertitur Annus.

Nouerintq; omnes id genus ſcripta artificis mage, qui eſt memoriam fouere, quam artifici s, qui futurus eſt mentem docere: nõ enim eſt doctrina per ſuas tradita cauſſas: Quapropter non quibuſcũq; ſed ijs, qui aliquem in arte habitũ habent, ſcriptus eſt, ueluti Aphoriſmorum liber Hippocratis, cum Satyrico itaq; Perſio dicamus.

„ *Pinge duos angues, Pueri, Sacer eſt locus, extrà*
„ *Meĩte.*

Veruntamen, quia caput eſt in omni negotio, non ſolum quid, ſed & quomodo agendum ſit, nouiſſe. Dicemus primò & Aphoriſtica una Periodo rem ipſam uniuerſam, quod ſummarium (utar uoce antiqua) ad fouendam memoriam fuerit ſaluberrimum, dum in Breuiarium pauca digeſta, & uelocitèr perleguntur, & frequenter iterantur. Mox ſubijcientes Paradigma totius futuri negotij amplius delineatum.

Quod tertiò fuſius narrantes, & quaſi ſuis pingentes coloribus caractere tamen Aphoriſtico declarabimus. Orationi demùm noſtræ ſigillatim, & GRAECORVM, & ARABVM Doctrinam, quę pertinet, ad ſuſceptum Argumentum Phyſiologiæ Temperamentorum Vteri Fœminei ſubijciemus, coniuncturi etiam LATINORVM

noſtro-

noſtrorum qui fuerunt Medici celebres oratione. Atq; id conſulto facimus, qua ad aſſeuerandam ex eorum dignitate opus noſtrum, quà ut certius detractores iugulentur, & cõſtet palam ſcripſerimus, an exſcripſerimus? breuitèr nùm acceſſio tantilla fuerit Arti Medicę facta? quę longa, niſi & propemodùm immenſa Aphoriſticè, non Oratoriè ipſa uniuerſa tractari deberet, ab Atticis quippe non autem Aſiaticis, quam ego Prouinciam uel Tantaleam, uel Syſipheam inclinante Aetate fortaſſis tenuero, niſi ex toto, ſaltem ex parte, Poſteris exemplum meo relinquens periculo. Feliciores uiuite benigni omnes, qui legitis, uel auditis, mihi, Manibusq; meis futuris interdùm bene precantes, omnia æqui, boniq; conſulentes, Quod & fore non deſpero. Nec enim ipſa malitia uſq; adeò reſtagnãs, late, altè poteſt ſeſe diffundere, ut boni mergantur uniuerſi, argumentum ſit ex Catachyſmo uel apud Gentiles Deucalion, Pirrhaq; eius uxor, apud noſtros uerò Moſes ille Dei Symmiſtis, atq; Loth. Nonne itaq; rependendam mihi gratiam uerbis aliquibus merito cenſeam ſalutaribus? omnino, & non ſolùm quia bene ſperant Generoſi Animi, ſed quoniam expectare bona decet, præſertim à bonis atq; bonorum ergò alterutrius, uel rei cõſummatę uel ipſius attentatę. Vnos autem bonos Alexicacos, & Auerruncatores calumniarum omnium ſpero futuros, itemq; oro, rogo, obſecro, etiam, atq; etiam ter maxime obteſtor. Vos autem malitioſi homines, & ſuggeſti ſcientes aut diſcite, aut docete aut docere uolentem æquo animo patiamini. Hi

ſunt

sunt, qui me inuitum etiam compulere talem dicendi caracterem instituere, quem nominauit Columella vir doctus caninum, quorum obtrectatorum in me Væsana maledicta si forsan homines ignorent vereor satis ne legẽtium, vel audientium non fastidium modo, sed plerunq; & odium etiam incurram, immerito quidem, sospitalis Deus alioqui non me adiuuet. Habet enim mens nostra naturà sublime quiddam, & erectum, & impatiens superioris. Ideoq; abiectos, aut summittentes se, veluti monet alter oculus eloquentię Quintilianus libenter alleuamus, quia hoc facere tanquàm maiores videmur: Et quoties desceſſit Aemulatio succedit humanitas. At qui se supra modum extollit, premere, ac despicere creditur, nec tam se maiorẽ, quàm minores cęteros facere. Inde inuident humiliores, At nequam hominum, quibus licet modis, est infrenanda malitia, ne isthęc effrenis ruat in omne vetitum nefas, atq; exempli Trophęum sibi erigat pessimum, bonos interim calcans, atq; pessundans, vbi autem exemplum nocet, quemadmodum ego dicere soleo, ibi Clementia censeatur Dementia. Boni vigeant, Mali valeãt, nisi retipiscant.

CAP. PRIMVM.

Calumnia aduersus orationem, quę videatur obscæna: & calumniæ depulsio.

SCitum illud, & prudens, omnia cauere, nihil reddere, nisi hoc sit vitium, perinde ac omnia

credere. Veruntamen ſuus cuiq; ſtomachus, non ſecùs atq; ſignata vox,& indiuidua facies. Certum attamen hoc vt longo vſu cognouerim ipſe,& aliorum ex experientia collegerim ,Neminẽ vnquàm ſibi ſatis cauere hominem ab homine,prẹſtat nihilominus haud ceſſare ingenium ad beſtiarum hominum ictus, morſus, calumnias fugiendas , declinandas,& depellendas. Vnde protinus inter inetia ſubijt illud opportuno, atq; nimirum arrepturos eſſe maleuolos, & obtrectatores noſtros argumentum damnandi ſcripturam noſtram , ductum (veluti cenſebunt) ab ipſa Orationis Obſcẹnitate, videtur enim de Naturalibus Fœminarum dicentem , non poſſe in recenſendis partibus Obſcẹnis oratione, vocabulis vti niſi Obſcẹnis. Quapropter huiuſmodi ſcripturam honeſtiſſimis auribus inimicam quaſi ſcopulum , & ſyrtes iure damnandam , diris etiam eſſe exibilandam , ſi verum illud eſt , corrumpunt bonos mores colloquia mala.

Præterea ſcioli quidam homines vbi referant ne ſcio quæ veterum dicta ſibimet abblandiuntur,per placent,atq; iugulauerint quaſi veritatem geſtiunt inſanè væſani.

„ *Vrge & creſcentem inſla ſermonibus vtrem* .

Hos itaq; illorum opinioni quaſi calculum adijcientes,narremus quẹ ſcripſerit Plutarchus,ex Interprete.

Plutarchus lib. de Amore Prolis.

Etenim natura cum omnibus in rebus accurratam,artificio-

tificioſamq; adhibeat diligentiam, nihilq; mancum, au ſuperuacaneum admittat, &, (vt ait Eraſiſtratus) nihil habeat otioſum, aut friuolum: nulla oratione ſatis explicari poteſt, qua induſtria confecerit ea, quæ ad Humani generis procreationem attinet. Ac fuerit fortaſſe non ſatis decorum nimis ſubtiliter ea perſequi, quorum vocabula parum honeſte proferuntur, ſed occultantur, vt intelligo poſſit quæſit, & quam apta conſtitutio eorum membrorum, quæ gignendo, fouendo, in lucem edendo, & enutriendi homini natura deſtinauit.

Homines iſti næ ij ſunt, qui à Satyrico lepidè ac bellè ſatis picti fuere, vos legite, audite.

Vltrà Sauromatas fugere hinc libet, & glacialem
Oceanum, quoties aliquid de Moribus audent,
Qui Curios ſimulant, & Bacchanalia viuunt.
Frontis nulla Fides. Quis enim non Vicus abundat
Triſtibus Obſcænis? Caſtigas Turpia, cum ſis
Inter Socraticos notiſſima Foſſa Cynedos.
Non tulit ex illis toruum Laronia quendam
Clamantem toties, vbi nunc Lex Iulia? Dormis?
Ad quem ſubridens. Fælicia Tempora, quæ Te
Moribus opponunt, habeat iàm Roma Pudorem
Tertius è Cælo cecidit Cato. Sed tamen vndè
Hæc emis? Hirſuto ſpirant opobalſama collo
Quæ tibi? Ne pudeat Dominum monſtrare Tabernæ.

Varillus, & Sextus, ac reliqua Monſtrorum colluuies ſordidiſſima obiicere nobis audebit orationis Obſcænitatem. Impuri, quos ego, ſed præſtat inſiſtere, neq; illos ſuis coloribus pingere.

Quæſtio eſt. An dentur verba Obſcæna? Stoici negant, Peripatetici aiunt, quorum tamen rationes nunquam mihi ſatis arriſere. Sed alterius in-

tereſt negocij rem ipſam definire. Interim ſubmouiſſe calumniæ telum ſat fuerit, clypeo, & Aurelij Cornelij Celſi, atq; Aurelij Auguſtini Diui, quorum virorum dignitatem vanitati obtrectantium ſciolorũ oppono. Legatur, audiatur D. Auguſtinus, qui diſſerens, An etiam in Paradiſo terreſtri generandum fuiſſet, ſi nemo peccaſſet: Vel vtrum contra actum libidinis pugnatura illic fuiſſet traditio caſtitatis in hanc ſententiam ſcripſit.

D. Aurelius Auguſtinus lib. xiv. De Ciuitate Dei. Cap. xxiij.

Hunc reniſum, hanc repugnantiam, hanc voluntatis, & libidinis rixam, vel certè ad voluntatis ſufficientiam, libidinis indigentiam proculdubio niſi culpabilis inobedientia pœnali inobedientia plecteretur in Paradiſo nuptiæ non haberent, ſed voluntati membra illa, vt cætera cuncta ſeruirent. Ita genitale aruum, vas in hoc opus creatum ſeminaret, vt nùnc Terram manus: & quod modo de hac re nobis volentibus diligentius diſputare verecundia reſiſtit, & compellit veniam, Honore præfato, à pudicis auribus poſcere, cur id fieret, nulla cauſſa eſſet, ſed in omnia, quæ de huiuſmodi membris ſenſum cogitantis attingerent, ſine vllo timore Obſcenitatis liber ſermo ferretur, nec ipſa verba eſſent, quæ vocarentur Obſcæna, ſed quidquid inde diceretur tàm honeſtum, quàm de alijs, cùm loquimur, corporis partibus. Quisquis ergo ad has literas impudicus accedit, Culpam refugiat, non naturam: Facta denotet ſuæ turpitudinis, non verba noſtræ neceſſitatis, in quibus mihi facilime pudicus, & Religioſus lector, vel auditor ignoſcet, donec infidelitatem refellam, non de fide-

rerum

rerum inexpertarum, sed de sensu expertarum argumentantem. Leget enim hoc sine offensione, qui non exhorret Apostolum horrenda faminarum flagitia reprehendentem, quæ immutauerunt naturalem viam in eum vsum, qui est contra naturam: præcipuè quia nos non damnabilem Obscænitatem nunc, sicut ille, commemoramus, atq; reprehendemus, sed in explicandis, quantum possumus, humanæ generationis affectibus, verba tamen sicut Obscæna deuitamus.

Sed legite pariter, vel audite ipsum Aureliũ Cornelium Celsum, non equidem professione Medicum, sed Medicinæ candidissimum Scriptorem, virum ingenuum, cuius doctissimam rotunditatem intellectus, vbi quis cognoscere satagat, is Columellam, & Quintilianum legat, sed nostra peragamus.

Aurelius Cornelius Celsus lib. sexto suæ Medicinæ. Cap. xiix.

De Obscęnarum partiũ vitijs, & curationib.

Proxima sunt ea, quæ ad partes Obscænas pertinent, quarum apud Græcos vocabula, & tolerabilius se habent, & accepta iam vsu sunt, cum omni ferè Medicorum volumine, atq; sermone iactentur. Apud nos fœdiora verba, ne consuetudine quidem aliqua verecundius loquentium accomodata sunt, vt difficilis hæc explanatio sit, simul & pudorem, & artis præcepta seruantibus. Neq; tamen ea res à scribendo deterrere me debuit. Primum vt omnia, quæ salutaria accepi, comprehenderem, dein quia in vulgus eorum curatio etiam præcipuè cognoscenda quæ inuitissimus quisq; alteri ostendit.

Si hos viros intellexerint Scrupulosiora ingenia cessabunt assentiri calumniæ obtrectatorum. Apagete cum importuna, & puerili, & otiosa huiusmodi vestra verecundia iniqui naturæ desertores. Præstat huius Maiestatem, atq; mysteria contemplari, quam vestrę opinioni subscribere. Iugulo vos hoc Stagyritico pugione.

Aristoteles lib. 1. de partibus Animalium Cap. quinto.

Sed cum iàm satis de illis egerimus, nostramq; explicauerimus sententiam, restat, vt de animante natura disseramus, nihil pro viribus omittentes, vel vilius, vel nobilius, nam & in ijs, qua in hoc genere minùs grata nostro occurrit sensui, natura parens, & autor, omnium miras excitat voluptates hominibus, qui intelligunt causſas, atq; ingenuè philosophantur. Absurdum enim nullaq; ratione probandum est, si imagines quidem rerum naturalium, non sine delectatione propterea inspectamus, quòd ingeniũ vna contemplamur, quod illas condiderit, idest artem pingendi, aut fingendi. Rerum autem ipsarum naturæ ingenio, miraq; solertia constitutarum contemplationem non magis persequamur, atq; exosculemur, modo causſas perspicere valeamus. Quamobrem vilium animallum disputationem perpensionemq; fastidio quodam puerili spreuisse, molesteq; tulisse dignum nequaquàm est, cum nulla res sit naturæ in qua non mirandum aliquid inditum habeatur. Et quòd Heraclitum dixisse ferunt ad eos, qui cum alloqui eum vellent, quòd forte in casa Furnaria quadam caloris gratia sedentem vidissent, accedere temperarunt, ingredi enim eos fidenter iussit, quoniam, inquit, ne huic

quidem

quidem loco Dij desunt immortales. Hoc idem in indaganda quoq; natura animantium est faciendum. Aggredi enim quæq; sine vllo pudore debemus, cum in omnibus naturæ numen, & honestum, pulcrumq; insit ingenium. Quippè cum naturæ operibus iunctum illud præcipuè sit, vbi nihil temerè viceq; fortuita committatur, sed alicuius gratia omnia agantur. Finis enim cuius gratia quicquam vel constat, vel conditum est, boni, honestiq; obtinet rationem, At vero si quis caterorum animalium contemplationem ignobilem, abiectamq; putat, iam hic de se quoque idem arbitrari debet.

Sed vt rem in pauca conferamus, vel naturę maiestas, vel salutis ipsa necessitas excusabit scripturæ orationem, quę tantum obtinuerit momenti ad pudicitiam violandam, quantum voluntatis habuerit homo ad eandem non conseruandam.

CAP. SECVNDVM.

Calumnia altera aduersus ipsius Scripturæ sententiam, atq; ipsius depulsio.

VIles homines, & qui per seipsos nequeunt apparere, vituperando meliorem esse se aliquid conantur ostendere. Nisi me fallit memoria, scripsit Socrates, quemadmodum refert Eusebius libr. decimo hist. Ecclesiasticę nimirum homines nequam in calumnia bonorum sibimet constituunt Ccronam primam, Lauream, & Apicem Subselliorem, quapropter nullis non cessant ab insidijs, & nullo non tempore homines praui, nostram non

dam-

damnauerit quasi caninam eloquentiam qui semel iam relatorum Balotranum fuerit expertus venenatam maleuolentiam. Doctus ego reipsa scribo, cum non puduerit personas istas litterarias, atq; numeri ternarij clanculum tamen insusurasse nonnullis, atq; in angulo me esse prorsus hominem Analphabetum. Sed à damnatis natalibus, & Arcadię pecuarijs exhalatio tantum est expectanda Mephytica. Rem ipsam prosequamur. Altera fuerit obtrectatorum calumnia nostram aduersus hãc scripturam. Dixerint nempe isti. Sit huiusmodi vera doctrina: Omninò si homines eandé sequentur, nihilominùs haud consequentur, Nec est dixerint opinio nostra, sed ipsius Hippocratis, ipsius etiam Galeni, vos legite, audite.

Hippocr. lib. 1. de Morbis Mulieb. Tex. 75.

Periculosa verò sunt, velut dictum est, & plerunq; acuta, & magna, & intellectu difficilia, eo quòd mulieres participant morbis, & aliquando neq; ipsæ sciunt, quòd ægrotant, priusquàm morbos experiantur à mensibus, & seniores factæ fuerint. Tunc autem & necessitas, & tempus ipsas morborum causas docet. Et quandoq; non cognoscentibus ex quo morbo ægrotent, morbi incurabilis fiunt, anteaquam doceatur recte Medicus, ex quo morbo ægrotet. Verentur enim narrare etiamsi sciant, & præ imperitia, ac ignorantia, Turpe id sibi esse putant.

Constat, inquient obtrectatores, ex hac Hippocratis oratione mulieres delabi plerũq; in morbos, & incurabiles, & graues, quia suppudeat illas Medicis

dicis narrare ſymptomatę, quibus vexantur. Vnde patet manifeſtò nunquam fore, vt eędem fęminæ quicquam dicant de confirmatione ſuarum partium, at reliquo negotio Muliebri. Sed iunioris præceptoris accedat quoq; teſtimonium audite, legite.

Galenus Com. primo. in l. Hipp. de Officina Medici Tex. Com. 13.

Hæc quidem Medicus aſſiſtentes celat, vt ipſos aſpectu prohibeat. Alia verò ob laborantis puderem, vbi graui animo fert videri à multis, quo vitio in Ano, vel Obſcenis partibus affligatur has enim partes inuitiſſimus quiſque alteri oſtendit: Fœminæ verò Clunem, Pectus, Ventrem, atq; adeò magis Pubem.

Dixerint propterea ipſi obtrectatores doctrinã meam, vt veritati penitus conſentiat, otioſam futuram, & prorſus inutilem, quia ſit impoſſibile totius negocij Muliebris cognitionem fore vt habeamus adeo minutam. Prælaturas eſſe fœminas nedum ſterilitatem, ſed ſalutem quoq; vel narrationi, vel oſtenſioni naturalium ſui ſexus, eorundemque ſymptomaton; Ita ruere vniuerſam fere Doctrinam meam.

Huius farinæ homines iſta nobis obijcientes, ij ſunt, qui nuncupantur Scioli: Equidem veterum ſcripta legerunt aliqua, ſed lecta nõ intellexerunt, Cui vitio fuerit remedio multum legere, non multa: ſunt enim imbecilla id generis ingenia. Robuſta nanq; & rotunda multum legunt, ac multa, quę

non ſolùm intelligunt ſed plura etiam, & hæc eſt nota, validi, vigentis intellectus. Qui enim, quod legit ſolum intelligit, nec ſolers progreditur vlterius, hic ceſſet à ſtudijs, nunquam enim quidquam laudabile pariet. Lectio autem ipſa debet eſſe aſſidua, attenta, diuturna. Interim non præteribo illuſtrem ſententiam qua vtitur familiariter Pompeius Valentinus ciuis Mutinenſis V. C. vel ſacerdotalis vitæ ferè inimitabili exemplo, vel vtriuſq; iuris doctrina ſingulari, præterea & Humaniorum Studiorum cognitione præcipuus, quem vnicè diligo, & amo. Valentinus ait. Studeat quis leuitèr, is didicerit nihil. Studeat verò nauitèr, is didicerit nonnihil. Sed illa pertinent ad iuditium conſequendum, quod eſt ipſa contemplatione poſterius. Eſt enim iudicium reflexa Cognitio, nimirum intellectio intellectionis. At hæc aliàs, & libro proprio de ingeniorum indice caractere.

Diluamus interea propoſitas obiectiones. Qui hæc dicunt, non legerunt, aut non intellexerunt, vel & lecta, & intellecta non meminere Qualia, Quot, quæ ſcripſerit Hippocrates in libris ipſis, De ſterilibus. De Morbis Muliebribus, Hos illi relegant, nouerint aduersùs noſtram ſcripturam vanè, niſi malignè calumniam talem effudiſſe, neque condemnatam in meam doctrinam, quaſi curioſam, ſuperfluam, & impoſſibilem. Referre nunc loca Hippocratica, quibus reuincitur obtrectatorum petulantia, ineptia, malitia, ignorantia, omnino perindè foret, ac vniuerſam doctrinã fere morborum Muliebrium ab ipſo traditam Hippocrate

hùc

hùc transferre, quapropter satius fuerit supersedere, interim subiunxisse non pigebit, quæ insequuntur Hippocratis orationem paulo ante narratam ex obtrectatorum quasi mente.

Hippocrates lib. 1. De Morbis Mulierum. Tex. lxxv.

Sed & Medici simul peccant non exactè caussam Morbi percunctantes, sed velut viriles morbos sanantes, & multas noui iã ab huiusmodi affectionibus corruptas, quare statim caussam interrogare oportet: multùm enim differt Muliebrium morborum, ac virilium curatio.

Misereor ego nonnunquàm huiusmodi sexum, & prę sertim virgines ipsas, quæ Deo consecrauere virginitatem, cum à Medicis interdum curantur prorsùs ignorantibus naturalium Mulieris Physiologiam. Hinc earum morbi aut protrahuntur, aut commutantur pessimè, aut rebellant insuperabiles demum vt commoriantur. Falluntur virgines, & qui earundem curam gerunt, decipiuntur supinè credentur passim cuiq; medicato etiam famigerato illarum curationem demandari posse. Vtinam scitum illud in politicis homines intelligerent, atq; intellecto vterentur. Caue, ne quem semel sapere aliqua in re tibi persuaseris, hunc semper sapere, & in omni re doctum esse facile credas. Quod tamen vitium late patet in medicina præsertim. Quẽ una in ægritudine semel valuisse cognouerunt homines, aut felicem extitisse, hunc semper in omnibus valiturum, seu benignam sortem experturum

esse, ij sibimet fingunt opinantes. At ratio, vsus nos commonet, sæpius contra euenire, præsertim in curatione morborum Muliebrium, & virilium, quos ego dico morbos sexuales, uel specificos, quia pertinent ad indiuiduum, non quatenus est indiuiduum, sed quatenus est indiuiduum hoc cum additamento specificum. Genitalia sexus utriusque maris, & fœminæ non equidem nomine tenus, at physicè, nimirum Physiologiam earundem probe teneat, oportet quasi vngues, digitosq; suos Medicus ille, qui vult non Empyricè, at Physicè, uel ratione duce mederi, tractare morbos principiorũ specificorum ipsius maris, & fœminæ. Alioquin is, qui aptus est curationi morborum virilium, is erit ineptus curationi morborum Muliebrium, & è cõtra. Non enim qui nouit medicinam uirilem, necessario cognouit medicinam Muliebrem, dabiturq; (ueluti nos obseruauimus) doctus Medicus marium, qui fuerit indoctus fœminarum Medicus. Difficillimum existit ac maximè arduum reperire Medicum bonum in exercenda medicina utriusq; sexus scilicet uirili, & Muliebri. At hæc alias, nunc audite, legite ipsum Hippocratem.

Hippocr. lib. 1. De Morbis Mulieb. Tex. 32.

Morborum porrò vires considerare oportet, & causſas, ex quibus morbi fiunt, exquirere atq; ſic ad alia procedere, & morbos circa locos curare, & quæ quidem ob causſam oſculorum hiantium prohibentur, ut ne detineant in ventre, harum oſcula præparare, vt probè deducta ſint. Quum

vero humiditas prohibuerit hanc inſpicere, vt ne impediat, Totis Mulierum negotijs expenſis, ſiue ex toto corpore quid moueri videatur, ſiue ex ipſis vteris, ſiue ex vtriſque.

Summa ſummarum docto nunc, quì haberi poſſit cognitio naturalium fęminæ, breuiter negotij totius Muliebris. Quæ oretenus à Muliere cognoſcere non poteris, tu ſatagito intelligere ex ſocijs intimis ex matre, ex coniuge, ex obſtetrice, ex nutrice. Mulier quippe nulla exiſtit cui tanquam Didoni Anna ſua non aſſiſtat. Illud nunquam obliuiſcaris Medicum oportere taciturnum, Elinguem prorſus eſſe, nihil non penitus abſcondere, nihil efferre, Terram omnino illum oportet exiſtere, vnde illud, Terræ dictum. Scio refragari Satyricum illud carmen de Myda apud Perſium, at hæc ſunt Poetarum Figmenta.

CAPVT TERTIVM.

Nomina Partium Corporis Muliebris ad hoc opus pertinentia declarantur ex Ruffo Epheſio, & Galeno.

OPeræ prętium facturos nos eſſe arbitramur, ſi nomina illa Partium Corporis Muliebris, vnde ſumuntur notæ ad cognoſcenda Temperamenta vteri earundem intereà vel Tyronum gratia declarauerimus, atq; præſertim ex opinione Ruffi Epheſij viri diligentis in hoc nominum negotio partium corporearum humanarum. Non

præ-

præteribimus etiam quicquid Galenus, & alij ad idem hoc negotium pertinentium ſcripſerint ſubiungere. Interim quæ memoria paulo tenaciori vigent ingenia, & quibus ad hanc rem ſuperior vna lectio, vel altera ſatis, ſuperq; ſufficiunt, patienter, & æquanimiter ferre debebunt, ſi hæc modo ſcrtpturæ noſtræ interſeruut, & propter alios non putare ſuperfluum, quod iam ſibi ſentiunt non eſſe neceſſarium. Sed auſpicemur.

Ruffus Epheſius de Corporis Humani Partium appellationibus. Lib. Primus.

Iunio Paulo Craſſo Patauino Interprete

De Muliebribus Genitalibus. Cap. 13.

Pecten.

Muliebris autem Pudendi, quod ſupra eſt, Pecten dicimus, id triangulum eſt, & imi ventris terminus. Ab alijs Epyſion appellatur.

Schiſma.

Pudendi Rima, Schiſma dicitur à Græcis, Sciſſuram Latinè interpretamur.

Nympha.

Muſculoſa in medio Caruncula Nympha, & Myrton, ab aliquibus Hypodermis, ab alijs Clitoris nominatur, laſciuèq; eã tractare χλιτορίζειν dicunt.

Myrtochilæ.

Myrtochilas verò vtrinq; poſita Carnoſa Corpora, cęterum hæc Eurypho, & Cremnos, id eſt,

Rupes

Rupes vocat. Sed nostræ Aetatis Medici Myrtochilas, Pterigomata (quasi Alas dixeris) appellant, Myrton verò, Nympham.

De reliquis vsq; ad Inguina Partib. Cap. xv.

Sub Costis Molles Partes à Græcis Laparæ, & Cheneones, à Latinis Ilia vocantur.

Clunes, Subclunes.

Clunes autem, ac Sedilia post Lumbos Carnosę partes, quoniam illis sedendo nitimur. Ab alijs nates dictæ sunt. Sub quibus Hyppoglutides, ideſt Subnatales vocatæ iacent.

De partibus ab Inguinibus &c. Cap. xvj.

Inguina Femorum Priores Partes sunt propè Pubem posita. Neruus autem ad Acetabulum pertinens, ac totus Articulus Coxendix dicitur.

Femina, Interfemina.

Femorum internę parres Parameria Gręcis, Femina Latinis sunt. Interfemina autem loca Mesomeria Gręcè, Interfemina Latinè dicito.

Ruffi Ephesij de Corporis Humani partium appellationibus. Alter liber Primus.

Iunio Paulo Crasso Patauino Interprete

De Ventris, seu Alui partibus. Cap. xij.

Aluus est, quam alij ventrem nominant. Quod in medio est Epigastrion Gręci vocant super ventrem,

trem, scilicèt cutem. Media Cauitas est vmbilicus. Et circundata cutis vetula vocatur, quod ea corrugata senectam adesse significat.

Abdomen, Sumen:

Quod sub vmbilico ponitur Abdomen, ac Sumen est.

Epysion.

Quod posteà ad Genitalia vsq; pertinet Epysion, Pubes, ac Pecten dicitur.

De Fœminarum locis. Cap. 14.

Muliebrium locorum pars superior Pecten est. Fissum verò prima diuisio.

Nympha.

In medio sita Musculosa Caruncula Myrton, aut Nympha est.

Myrtochila.

Myrtochila verò à lateribus collocatæ Pinnę.

Nates. Cap. 15.

A Lumborum lateribus Nates sunt post Lumbos Carnosæ partes Clunes appellatæ sitę sunt, quę & Ephedrana, quod sedendo commodę sint à Grę cis nominantur.

Inguina: Cap. 16.

Inguina sunt Femorum Principia.

Femo-

Femina.

Femorum partes interiores Femina sunt.

Pliehades.

Quæ partes inter has Perinæumq; sunt Pliehades à Græcis dicuntur.

Ex Heredoto, vel Galeno, & libro qui inscrib. Introductio, seu Medicus.

Nunc veniamus ad Galeni recitandam sententiam, vel potius Herodoti, huius arbitramur nos esse librum illum, qui inscribitur Introductio, seu Medicus, atq; ex Galeni ipsius testimonio, quod legite, audite.

Galenus in sextum Epidemiorum Hippocr. Com. 2.

Exteriora sunt, quæ ad Oeconomiam, vsumq; conferunt, & nonnulla eorum, quæ ab Herodoto scripta in eo sunt libro, qui MEDICVS, est inscriptus: dicta quoque, & à nobis sunt in quibus præsensionem persequimur.

Sed legite, audite ipsum Herodotum qui ex Interprete dixit. Cap. X.

Abdomen.

Quod ante Ilia, & Hyppocundia comprehendit Abdomen est.

Chæneon.

Quod vtrinq; est Chæneon, idest, inane, & vacuum.

Ilium, vmbelicus:

Ilium medium occupat vmbelicus.

Sumen.

Sub hoc Sumen, Græcis Itron.

Pubes.

Posteà pubes sequitur, quę & Aqualiculus, Græcè Epysion dicitur, in quem Thorax finit, vbi & Masculorum pudenda constituta sunt, tum Fœminarum ad Femoris vtriusq; exortum, vt sub hoc occultetur.

Muliebris autem pudendi (sic enim nominaui ipsum) sinus ipse κτεὰς ideſt Pecten vocatur.

Alæ Pudendi.

At quæ Sinum ambiunt, Alæ vocantur.

Nymphæ.

Inter has autem Caruncula ad fissuram exorta Græcorum lingua νύμφη nominatur, nostra Colliculum appellare licet. Hanc quod multò promineat Aegyptij in virginibus excedere consueuerũt.

Marcus Antonius Vlmus.

Fuere qui hanc particulam, seu Nympham dixerint, stimulum Veneris quoniam contrectatione illius blanda in Fœminis appetitus, & idem acerrimus Veneris excitetur, semenq; interdũ elicitur.

Augetur hęc eadem pars nonnunquam grandis vsqueadeo, vt excindenda sit. De qua chyrurgia legito te Aëtium, atq; Paulum Aeginetam in suis operibus Medicis cap. prop. quod inscrib. De

Nym-

Nymphotomia in Fœminis Tribadibus arrigitur Grandis.

Verùm tamen ipsum Aristotelem consulito eloquentem, De partibus huiusmodi in hanc sententiam ex Interprete Gaza, vos autem Græcam legite orationem.

Aristoteles lib. 1. De part. Animi. Cap. 13.

Venter infrà pectus est, parte priore, cuius radix est vmbilicus.

Ilia.

Huic radici pars subiecta in latus vtrunq; Ilia dicitur.

Abdomen, Sumen.

Quæ autem rectè subiungitur Sumen est, siue Abdomen.

Aqualiculus.

Cuius postremum est Aqualiculus.

Hyppocundria.

Sed super vmbilicum Hyppocundrium est, à Cartilagine, quasi Subcartilagineum nominatum.

Cholago.

Cauum autem commune Subcartilagij, & Ilion Cholago est.

Lumbi.

Partem posteriorem Lumbi pari structura præcingunt, vnde nomen Osphys inditum est.

Nates.

Partis verò Excretoriæ, quod subditum, quasi

stragulum est Nates appellatur. Cap. 14.

Mulieris autem Genitale contra quàm viri formatum est. Cauum enim subditum pubi est. Ceruix ab vtero effertur, accessum prolifico Maris semini præbens. Communis Femoris, & imi ventris pars inguen.

Nunc ad Galenum veniamus, qui & ipse ventris huius inferioris externas partes nomine peculiari connotauit.

Galenus in lib. Hippocr. De officina Medici. Com. 2. T. C. 15.

Quod verò Pneumatodes appellare solear eos, quibus densus est spiritus, dictum quidem in superioribus est, sed & nunc manifestum est.

Rursus enim in peius mutabuntur huius mulierculæ symptomata, & circa decimam sextam diem ipsam mortuam esse ait, densum spiritū habentē.

Quin & quòd post hanc cōscriptus eger, etiam ipse densum spiritum habuerit, ob iliorum affectionem, ipsa dictio manifestum facit, hoc modo habens.

Filius erat mulieris ipsius Apoemanti sororis, Ili a magna, & splen, spiritus, egestio amaræ bilis.

Quemadmodum enim pneumatodes, hoc est anheloſos, aliquando vocat, eos, qui densum spiritum habent: sic etiam quandoq; simpliciter, spiritus scribit.

Nihil verò miri est, si magnis existentibus Ilijs, spiritus densus fiebat. Nam etiam rursus progressus in ipso, denuò inquit.

Ilia verò intenta erant, & sanè erat etiam Tussicula modicè sicca.

In vniuersum enim, veluti diximus, quando aut tumor, aut dolor quispiam in partibus iuxta Ilia constiterit, paruus & densus necessariò fit spiritus.

Quare neq; hoc mirabile cuipiam videri debet, quod etiam in ijs, quę post hæc sequuntur, cum anteà dixisset, Ilium submolle: apponat Pneumotodes; hoc est Anheloso non valdè.

Si enim Laparon Græcis vacuum & molle, hypolaparon autem subuacuum & submolle significat, in tantum sanè difficulter spirabunt, in quantũ partes circà Ilium ipsis malè habuerint.

Moderatè itaq; ipsis affectis, moderatè difficulter spirabunt.

Lapara.

Lapara item dicunt eas Corporis Partes, quę inter Costas Nothas positæ sunt, & Ossa, quę ad Ilia pertinent. Iam verò omne, quod desidet, λαπαρὸν appellant, translato Vocabulo ab eo, quod communiter accidit, siquidem Omne quod Vacuum est necessariò desidet.

Chæneon. Tex. Com. 16.

Vocatur autem, vt mox retuli, χαῦνος, quod inter Thoracem est, & Os, quod ad Ilia pertinet, ita dictum, propterea quod Inane sit, hoc est, Desidat.

Galenus in lib. Hippocr. De Fracturis Comm. 2. Tex. Com. 70.

Ilia dixit ἰξύας, quæ nonnulli accipiunt pro l'iũ Ossibus, nonnulli pro parte, quæ super ipsa est, quę

λαπαρὰ

λαπαρὰ propriè vocatur, quod verbum apud Poetam reperitur in eo carmine.

ἵνα κατὰ λαπάρην

Equidem de Vocabulo λαπάρας dicere possum adductus experimento, & Hippocratis, ac Poetæ vsu, tum ipso Morbo, eam significare Partem, quæ inter Ossa Pectoris, & quæ propriè appellantur ossa Ilium, est interiecta, de qua suo loco agemus.

Gal. Com. 3. in lib. Hipp. de Articulis Tex. Comm. 74.

Quò fit, vt Corpus circa Ilia prehendant, Ilia autem vocant χειρεῶνα eam Regionem intelliges, quæ est inter Ossa Coxarum, & Costas Nothas, quę omninò sine Osse est.

Has partes nimirum Cheneonas, aut Laparas, qui Textum Hippocratis fuerunt interptetati verterunt periphrasticè, nuncupantes laterum Mollitudines quemadmodum nouere in Oratione Hippocratis versati.

Gal. Comm. 2. in lib. Hippocr. De Fracturis. Tex. Comm. 70. Plychades.

πληχάδα quidam per χ scribunt, quidam per γ πληγάδα. Eo vocabulo significatur, quod inter vtrunq; Crus spatium est, vnde Hippocrates Diuaricari vocat σκιπλῆσθαι, καὶ διασκιπλησθαι. Nam, & Poeta, τοὶς σκιπλήθοντζοποδὸς dixit, significare volens Diuaricabant Pedibus.

Addere lubet in gratiam Tironum, quæ scripta fuerint à Cornelio Celso Viro Docto, qui & Galeno

leno ipsi fuit ætate superior, circa nomenclaturam Partium aliquarum huiusce negotij limites, quæ intercedunt.

Aurelius Cornelius Celsus Cap. primo, & libri quarti suæ Medicinæ.

Vulua in Virginibus quidem admodum Exigua est: In Mulieribus verò nisi vbi Grauidæ sunt, non multo maior, quàm vt Manu comprehendatur.

Ea recta, Continuataq; Cervice, quem Canalem vocant. contra mediam Aluum orsa, inde paulum ad exteriorem Coxam conuertitur, deinde super Rectum Intestinum progressa, Ilijs Fœminæ latera sua innectit.

Ipsa autem Ilia inter Coxas, & Pubera imo Ventre posita sunt.

A quibus, ac Pube Abdomen sursum versus ad Præcordia peruenit ab exteriori parte Euidenti Cute, ab Interiori læui Membrana inclusum, quæ Omento iungitur Περιτόναιος autem à Græcis nominatur.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

PRoximum est, vt operis vniuersi futuri simulachrum ipsum, & summarium iam vobis exhibeamus, qua in re vetustissimũ præceptorem Hippocratẽ nostris interea viribus imitari tentauimus, reipsa docti & vsu aliquanto experti Artis Medicę longitudinem, nisi potius immensitatem, virę nostræ interturbatam toties, atq; adeo grauiter breuitatem. Piget, pudet interdum tot legere, videre in hac arte scriptores prolixitate styli, argumentorum, egressibus inopportunis maxime diffluentes. Nulla tamen est ars, vel disciplina quæ compendium & dicendi, & docendi magis exigat quàm Medicina, hanc Atticus caracter decet, Asiaticus verò maxime dedecet, Non dissimulabo quæ sentiam. In Medicina scribenda quicquid non adijcit superioribus illud etiam dearahere videtur, quinimmo & ipsis posterioribus, (censeant syncera, quadrata iuditia) apparebit nocere, non est enim cuiusq; Doctos ab indoctis scriptoribus interstingue re, hoc est offitij doctiorum, non autem ipsorum Tironum sed arduum est, nisi & periculosum hominibus agendi modum præscribere conari. Ambitiosos mortales quiduis potius posse quàm instrui, neq; esse, vt volentes admoneas, aut nolentes excites, vtraq; illos in re semper suo Aras dicasse cerebro, dùm satagunt potius suũ ostentare, quàm alterius fauere ingenio. Theatra iam ipsa conclamant, Mortales pereq; omnes ferè neq; benè consultantibus delectari, neq; bonis moueri consilijs

Medicus est Charon (excipio semper doctos, ingenuos viros) iam vuusquisq; remigare sat nouit vbi præscripserit Pharmaeum, & Clysma, instrui renuit. Quapropter hæc omittamus, ne minus gratiæ monendo Recta, quàm offensa reprehendendo praua mereamur. Græci doctè præcipiunt. Non tentanda, quæ effici omnino non possunt, itaq; prodeat iam totius operis delineatum Simulachrum, & Aphorismus.

APHORISMVS.

Cognitionis Temperamentorum Vteri &c.

Vteri Muliebris Temperiem significant Pubes, Menstrua, Venus, Semen, Conceptio, Partus, Puerperia, Pudenda, Mammæ, Lac, Ventris, Lumborum ac reliqui totius Corporis ipsa Conformatio. Præterea Partium Principum ipsa Temperies.

„ *Temperiem monstrant vteri hæc, quæ signa sequuntur:*
„ *Menstrua, Conceptus, Semen, Partusq́, Venusq́*
„ *Cumq́ Pube, atq; Puerperio committe Pudenda*
„ *Lac, Mammas, Ventris, Lumborum iunge Figuram*
„ *Corporis ac reliqui quæcunq; hinc Forma geratur*
„ *Principis huc etiam veniat Complexio Partis.*

CAPVT QVINTVM.

De Lanugine Labri ſuperioris Fœminarum, qui à me dicitur nouo confícto Nomine, Gynæcomyſtax, & lingua vernacula Cerchietto, ouero Muſtachietto.

OMninò (aut ego labor turpiſſimè) ſuperuacuus foret in ſtudijs longior labor, ſi nihil liceret melius inuenire præteritis. Cedò, cur poſteris nobis inuſtum fuiſſet relictum ſacrum illud, & immane ſciendi deſiderium, niſi & adijcere ſuperioribus nos quoq; poſſemus? Doctiſſimis Antiquorum, & Patrum nolumus propterea derogare, quorum ſedulo ſtudio, aſſiduis lucubrationibus factum eſt, vt Poſteri quicunque ſunt, erunt Gradū etiam vlterius valeant proferre in contemplatione rerum naturæ laborioſiſſima. Quapropter nemo non Poſteriorum debet omnia prioribus, iſti quomodocunque, quæcunque, quantulacunq; ſcripſerint. Euenit in Philoſophandi ſtudio, perinde atq; in Agricolatione, Hi ſementem, Illi Agrum parant, Alij verò metunt, Aliqui etiam omnibus laboribus cęterorum fruúntur ſupini, grati, nonnunquàm & ingrati. Sunt, ſunt equidem perpauci ęqui alienarum vigiliarum, & laborum æſtimatores, contra vero plurimi ſunt iniqui, & detractores, & oſores. Nemo ſibi perſuadeat intelligi poſſe ſcribentium, Autorum Aerumnas, vel difficultates

à quo-

à quoquam, niſi ab ipſis Aleam hanc, & Arenam experientibus, nimirum ſenſus eſt Magiſter optimus, atque is rarò fallax, niſi ſemper potius Fidelis nunquam vero infidelis. Veruntamen vt intellexerint, quid tùm? Aliena neque diù ploramus, neque diù memoramus. Obliuio eſt lubrica, eadem paratiſſima, Et omnium ęquè rerum promptiſſimum eſt obliuiſci. Nihilominus ceſſare non oportet à demerendis præſentibus, & poſteris exemplo veterum commoniti, alioqui ad ſocietatem nati mortales nihil minus curarent, quàm ſocietatem, quæ anguſta ſit vbi preſentes tantum attingat, veruntamen latè patet, atq; omnes æquè attingit, qui fuere, qui ſunt, qui erunt. Homo propterea non ſolum ſibi, ſed & poſteris naſcitur, atq; patribus, contemporaneis quoquè offitio, benefitio. Maiores reuereamur, cęteros omnes demereamur.

Quòd ſi longius procœmiatos fuiſſe aliqui ægre ferant, nos præſertim caracterem Atticum & probantes, & profitentes, nouerint ij, nobis illum in tractatu Inditiorum eſſe inſtitutum, in reliquis vero non eſſe propoſitum. At nemo homo omnibus hominibus ſatisfacit, & quemadmodum non vno (quod aiunt) Calopodio cuncti mortalium calceantur, ſic nec vno (quodcunq; ſit) ſcribendi genere delectantur. Sed rem ingrediamur ſenſibiliter declarantes à maioribus non fuiſſe animaduerſam partem ſenſibilem faciei Muliebri inexiſtentẽ atq; externam, nulla ope Anatomes, vel diſſectionis ipſi ſenſui viſus obuiam, & manifeſtam, vnde

patet non ſolum in ipſis intelligibilibus, verũ etiam in ſenſibilibus poſteros adijcere poſſe veterum monumentis, vbi præſertim non ſupinè, ſed acerrimè ſingula vilimus animaduertere.

Hęc pars, quam ſenſu nos percepimus inexiſtentem faciei Muliebri extrinſecus, atq; cęteris cognoſcendam ſenſu Indice, & Iudice proponimus, viſitur in Labro ſuperiori Fœmineo, ſunt autem Pili, vel Pilorum, aut Pilaris Lanugo, qua veſtitur cutis labri ſuperioris Muliebris, hæc pars (arbitramur nanq; nos Pilos eſſe partes Humani corporis ęenſus proprij, veluti dem õſtrare conati ſumus in Phyſiologia Pilorum Humanorum) dicitur à me nouo confecto nomine Ginæcomiſtax, Ratio nominis eſt duplex cum à ſexu, tum à loco. Pilorum ſiluula tenens regionem Labri ſuperni vocatur Myſtax, nomine iam recepto, cuius rationem habuiſtis ex Meletio, legereq; poteſtis in opere meo, cuius eſt Index Titulus, Phyſiologia Barbæ Humanæ, hoc eſt, De fine Phyſico, & Medico Barbę Humanæ, cuius operis malignorum turbellis adhuc non publicati leguntur duntaxat fragmenta, Anno vndeſexcenteſimo à Chriſto nato ſupra mille iam publicata, atq; menſe eiuſdem Anni Auguſto, hoc autem ſignatiſſimè ſcripſi nunc equidem non abſq; cauſſa, docti intelligent, qui opera aliorum legerint quantum pertinet ad Pilorum materiam, quam dixi eſſe ſanguinem genitalem ſpiritibus genitalibus perfuſum à facultate genitali prouenientibus, An ſit ſemẽ obiectum facultatis generatricis, & quod? noueri docti. Altera noui nominis ratio eſt à ſe-

xu.

χυ. Γυναικώδης ή, Muliebris.

Pręterea ſequutus fui Plinij veſtigia doctiſſimi viri, quem vobis & legendum, & audiendũ trado.

Plinius libro quinto Hiſtoriarum. Cap. 30:

In Ceramico autem ſinu Priapon neſos &c. Paulumq; à continente diſtans, quæ vocata eſt Cynedopolis, Probroſis ibi relictis ab Alexandro Rege.

Atq; idem Autor libro ſexto, cap. ſeptimo ait.

Dein Tanain Amnem, gemino ore influentem, incolunt Sarmatæ, Medorum (vt ferunt) ſoboles, & ipſi in multa genera diuiſi. Primo Sauromatæ Gynæcocratumeni, vnde Amazonum connubia.

Docti ſatis intelligent Analogam Onomatopeiam, nec interea nos alloquimur ſuggeſtiſcientes illos, qui non erubuerunt in Angulo (vbi detrahũt ſeruitia Dominis) nonnullis inſurrare me eſſe Hominem Analphaβητum.

Gynæcomyſtax eſt itaq; Barbulę imago, vmbra inchoamentum, ſeu Lanugo Pilaris Labro ſuperno Muliebri inexiſtens, Vbi verò nominis vim attendas, dictio ſignificat Myſtacem Muliebrẽ hanc partem lingua vernacula dicere ſoleo (Cerchietto ouero Muſtacchietto) origo nominis cõſtat ſatis.

Pilus iſte ſubijcitur omnibus fere differentijs accidentalibus, quibus & cęteri Pili ſubijciuntur Gynęcomyſtax imitatur, vel repræſentat ipſam ferè lanuginem, eſt breuiculus ipſe Pilus, tenuis, mollis, plerunq; cuti concolor, quapropter minus curioſe eundem inſpicientibus, non animaduertitur, ſed

viſum,

visum,& oculos minus acres interdùm subterfugit.

Hactenùs insinuaui Gynęcomistacis Pilos,eosq; Pilis masculis,& consummatis comparaui. Dicimus autem isthęc in eum finem, vt scias differe tamen inter sese plurimùm ipsos Gynęcomystaces quorum differentiæ,cum in ipsis fere consistant rerum momentis,verbis tradi nequeunt signatis; vsu autem,longaq; exercitatione acquiruntur,cognoscuntur,plus enim est in sensu, quàm in sermone, vel minus est in sermone quam in sensu, itaq; supersedebo conatibus,& facta,aut data solum indicatura,quod est reliquum,relinquam aliorum sensibus,adiungens tantum interea,quę ad pleniorem huiusce partis doctrinam pertinere videntur, hæc autem respiciunt qua tempus,qua vsum ipsius Gynęcomystacis. Nihil est enim in corporis ipsius compage subsistens,vel eidem coniunctum, quod sapientissima Natura Architectatrix fine suo, vel vsu, & officio non exornauerit, sed nostræ mentis paruitas non potest eiusdem attingere granditatẽ. Natura omnium Autor omnes omnium ratiocinationes mortalium transcendit (veluti ego censeo) atq; illius caligo, & operum ignoratio (quantum iudicare ualeo) vnum, verum existit uestibulum ipsius LVCIS inaccessibilis, nobis misericorditer condonatum, vt aliquatenus eãdem possimus cõtemplari per hanc transennam (quod aiunt) & hæc veluti Aenigmata, Sed raro vtimur contemplatione naturæ, contra verò plerunq; nisi & semper abutimur. Quotusquisq; autem ob alienam malitiam non decidat à bonitate, cum ipsa nequi-

tia

tia facilè imitatores inueniat? loquor interim de Phyloſophis, qui hominibus Idiotis exempla bonitatis, iuſtitiæ daturi, illis potiùs exempla fiunt nequitiæ, At vnuſquiſq; creaturæ magis quàm creatori famulatur,& hactenus fortaſſe nimis.

Tempus in quo erumpit Gynęcomyſtax.

Stat ſuum quoq; Gynęcomyſtaci Tempus, in quo erumpit,& apparere incipit ex naturę legibus, hoc autem exiſtit Menſtruorum eruptio, Mammarum conformatio, ſeu ipſa fratratio earundem, vtar interim vocabulo Theodoreo, quod nobis dedit Gaza Ariſtotelem interpretatus, hanc ueritatem definit ſenſus, oculus ipſe, & actio viſoria. Nam ſi paulo curioſioribus oculis animaduertere volueritis labrum ſupernum externum puellarum quæ ſint maturæ viro,& nubiles, obſeruabitis lanuginẽ pilarem in hac parte iam indicatam, & ipſum Gynęcomyſtacem in aliquibus pleniuſculum, & aliqua differentia euidentiorem ſenſibus, in alijs uerò puellis, uirginibus non adeò manifeſtum ſed occulto proximum. Non me piguerit uos monuiſſe illas difficultates, quibus interdum quaſi obſtruitur, & impeditur ipſe oculus, quominùs Gynęcomyſtacem inſpiciat. Sunt autem huiuſmodi impedimenta ferè iſthæc, nimirùm.

1 Breuitas.
2 Tenuitas.
3 Raritas.
4 Color, & hic Flauus dilutè, Albicans,& præſertim qui dicitur lingua uernacula Biondo pallido, nos Patauini utimur hac uoce ſmorto.

Vna-

Vnaquæq; iſtarum differentiarum Accidentalium Gynęcomyſtacis ualuerit iuxtà uires proprias eundem quaſi oculis eripere, ſuffurari; Has omnes uerò ubi coniunxerit natura omninò eſt arduum opus cognoſcere Gynæcomyſtacem. Augetur etiam difficultas, niſi actio uiſus obtineat ſuam cõmoderationem quantum pertinet ad obiecti huius poſitum, interuallum, ſeu ſpatium, & ſi quæ ſunt alia. Nemo non nouit, ſi hæc minutula, quæ maximè recedunt à ſenſus obiectis, aliquis uoluerit cognoſcere obiectum ita conſtituendum eſſe, ut lux diſeruiat prorſus ipſi actioni uiſoriæ. Sed uſus, quotieſcunq; delectentur homines huiuſce partis cognitione, illos docuerit aptius, quàm ſcriptura in qua fuimus paulo forſitan longiores, at ſi rei nouitatem conſulueritis, operam niſi probabitis, certè uoluntatem non damnabitis. Exeant, exerant ſeſe, qui noua doceant, uel rationi, uel ſenſui congruentia, mox noſtra impetant, lacerent quibuſq; cęteris iniurijs, calumnijs laceſſant, ſed nimirum.

„ *Apparent Rari Nantes in Gurgite vaſto.*

Nouitas equidem contingit interdum grata, ſed eadem periculoſa, & plerunq; odioſa: uidetur .n. ignorantię aliorum ingeniorum quaſi indicatio, & exprobratio, ſed Autoris eiuſdem uel ingenij ſummi, uel dignitatis, ac laudis acceſſio, & honeſtiſſima, iuſta etiam amplificatio. Nullis autem rationi ſenſuiuè innixa nouitas contigerit odioſa niſi & odioſis hominibus, qui faſtu nimio & ſuperbia elati neque intelligunt ex parte ineloquibilem Diuinę diſpenſationis Prouidentiam, neq; ſui intellectus im

becilli-

becillitatem cognoſcunt, hi non ſunt uerè homines, at hominum potius odia, niſi & opprobria mementote. Qui ægrefert alicuius mortalium dignitatem, is non videtur olfeciſſe naturæ, ſiue Dei naturæ Autoris ineffabilem Maieſtatem, videtur obfeciſſe naturæ, ſiue Dei Naturę Autoris ineffabilem Maieſtatem. Nouitas equidem ſuſpecta, & ſæpè niſi ſemper lacunoſa. Nihil enim operum ingenij humani ſimul & inuentum, & conſummatum ſimul exiſtit.

Auſpicemur tandem Gynæcomyſtacis vſum, qui pertinet ad ſignificandam Temperiem partiũ Genitalium Muliebrium, ſcilicẽt vteri, atq; teſtiũ earundem Fœminarum, quapropter ſalaces ignauæ ad Venerem, adhuc Aptiores, Ineptiores Mulieres, quæ fuant propter actionem facultatis generatricis, quantum ad ipſas pertinet ex ipſo Gynæcomyſtace deſumentur inditia.

Notæ Vteri calidi, atque Teſtium Fœminæ quæ deſumuntur à Gynæcomyſtace.

Si Gynæcomyſtax Temporius eruperit, atq; is Denſior, Longior, Nigrior, Craſſior, pro eius tamen natura, Fœminæ tunc habuerint Vterum calidum atq; præſertim ipſos teſtes; Eadem fuerint Salaces, Marium appetentes, quantum verò ad ſeipſas pertinet, fœcundæ, atq; maxime vt plurimum aptæ ad opus facultatis generatricis præſtandum, & in Venere ſatis vegetæ.

Qua verò Fœminarum nullas, aut perexiguas notas, atq; momenta ferè inuiſibilia Gynæcomyſtacis obtinue-

rint, hæ plerunq; sunt ad Venerem ignauæ, habentq; facultatem sui sexus generatricem minus valentem, vt, quantum ad se pertinet, rarò sint fœcundæ.

Cæterùm caput, radix, & cardo, vis, generandi, atq; ipsamet generatio pendet à coniunctione iusta, opportuna, & cõmoderatione vtrorumq; principiorum scilicet maris, & fœminæ, cui rei & alia coniunguntur non negligenda, quæ interdum sum mè, vel prosunt, vel obsunt. Atq; mementote vos omnes legitis, qui aut auditis, quemadmodum puncto temporis maximarum rerum momẽta vertuntur, à pari etiam & momentis quibusdam rerum maximarum constitutiones, exitus nonnunquam prorogari, sæpius interturbari, plerunq; verò & interturbata dissipari. Sed hæc plenius declarata sũt à nobis in opere iam delineato nostro, cuius est Index Titulus, Physiologia facultatis generatricis humanæ.

Quæ voluimus delibasse propter coërcendos factiosos sciolorum quorundam vęsanos impetus, pueriles, qui vbi viderint mulierem aliquam fęcundam absq; Gynæcomystace, aut è contra sterilem cum Gynæcomystace statim ἀλογῶς dixerint, me esse hominem vaniloquum, doctrinam publicasse sensibus repugnantem, quæ miseriæ sunt fructus ineptiarum nostrarum, siquidem cum alij ad alia nascantur, nemo satagit propensionem animo insitam cognoscere, eandẽq; tractare, sed vnusquisq; nullo delectu habito inconsultè cuiuis potius rei se se applicit, quam ei cui natus est hinc Mare Cœlo miscetur, & Chaos illud fabulosum iã viget si ope-

ra ingẽniorum attentè inſpicias, atq; introſpicias, Aratra Phyloſophantur, Muſæ in Piſtrino iacent. ò Tempora, ò Mores.

Meretrices, quia ſunt in Venerem putres rarò obtinent Gynæcomyſtacem ſenſibus manifeſtum, niſi eædem exiſtant admodum calidæ quantum pertinet ad partes genitales ſui ſexus, aut Venere celtica vtantur quippe refrigerat valde naturalia fœminarum coitus frequens,& multus.

Contrà verò ſenſibiliter apparet Gynæcomyſtax in virginibus, quæ Deo illibatam ſui corporis integritatem, animumq; vouere, præſertim vbi partes genitales proprij ſexus calidiores obtineant naturà, & non aduerſetur inſtitutum vitæ reliquum, quippe ſanguis ſpiritibus Morphœticis, genitalibus vel ſeminalibus largiter perfuſus quaſi reſtagnat,& præſertim ad cutem, huiuſmodiq; loca caracteriſtica, quapropter exoritur pilus, vel inualeſcit grãdior coloratior, craſſior, hinc plures earundem virginũ ſub deſitionem menſtruorum, atq; ætate grandiorĩ obtinent quoq; Gynæcomyſtacem grandiorem, propterea manifeſtiorem, vt in aliquibus Myſtacis maſculi,& virilis imaginem repræſentet, ſenſus docet, nullisq; alijs res indiget teſtibus. Hoc & ſuperioribus animaduertere ſæculis maiores noſtri, vos audite, legite ipſum Ariſtotelem ex Gaza narrantem.

Ariſtoteles libro tertio Hiſtoriarum Animi.

Cap. vndecimo.

Pili poſtgeniti ijs, qui ante pubertatem caſtrati ſunt, non exeunt: Et poſt pubertatem exciſis, ſoli decidunt præ

pubis. Pili in mento mulieris non prodeunt, nisi interdū pauci, cum menstrui cursus subsiterunt. Et vt in Terra Caria mulieribus Sacerdotibus euenire aiunt, quod diuinationis inditium interpretantur.

Altera huius periodi propositio repugnat sensui; vidimus enim nos mares Barbatos excisos, omni prorsus adempta virilitate, quibus tamen Barba non decidit. Præterea hanc eandem veritatem suo confirmat ingenuo testimonio Dion Nieęus vel Xiphilinus ex eodem. Sed fortassis in ea Regione, vel in aliquibus contigisse scribit Aristoteles, aut exscribit legens, vel audiens.

Pili pauci, vel rari exoriuntur in mento mulieris ait Aristoteles, quando menstrua subsistunt, Et ego dico Pilos aliquos, & in aliquarum mulierum præsertim Sacrarum Virginum, seu Monialium exoriri in mento, quia sanguis genitalis eo restagnat atq; seminalis, hic autem est materia horum pilorum, qui in hac faciei parte consistunt, nascuntur. Virgines enim sacræ quia nullam cognoscant Venerem ipsorum virorū non profundunt menstrua adeo genitalia veluti reliquę Fœminę viris vtentes, Coitus nanq; excalfacit naturalem mulierum earumq; loca laxat, & aperit propter motum exercitationem istarum partium, Hinc menstruum, & semen ad vterum trahuntur, quapropter coitu mulieres vtentes liberaliter magis reddunt menstrua, contra verò parcius, & difficilius ipsæ virgines, atq; præsertim sacræ Moniales, quo fit etiam vt ipsæ viuant magis obnoxiæ suppressionibus menstruorū, & varijs, atque difficilimis vexentur, symptomatibus,

bus, hoc autem plerunq;, non autem ſemper contingere animaduertitote, magnaq; ex parte verũ cognoſcitur, nam peculiares conſtitutiones, Temperationes quorũdam indiuiduorum experiemini à ſuperiori propoſitione longinquas, & aliter ſeſe habere cognoſcitis, quàm diximus quæ leguntur apud Ariſtotelem, hæc ſunt.

Γυνὴ δὲ τὰς ἐπὶ τῷ γενείῳ θυφὴν τρίχας, πλὴν ὀλίγαι ἐνίαις γίγνονται, ὅταν τὰ καταμήνια σῇ, καθάπερ ἐν Καρίᾳ ταῖς ἱερείαις, ὃ δοκεῖ συμβαίνειν σημεῖον τῶν μελλόντων.

Marci Antonij Vlmi Interpretatio.

Mulieri verò pili barbæ non naſcuntur, veruntamen pauci, rari generantur in aliquibus, Menſtrua quando ſteterunt, quemadmodum in Caria Sacerdotibus Fœminis, quod videtur contingere indicium futurorũ, vel eorum, quæ ſunt euentura.

Quotieſcunq; ad verbum interpretari libuiſſet, nemo vſq; adeo cęcutit, qui non intelligat hanc debuiſſe verſionem eſſe.

„ *Mulier ſanè in mento non gignit Pilos.*

At legant Græca, qui Greca nouere, vbi Grecus Autor, qui Græcè ſcripſerit, dicens refertur. An Gaza rem acu tetigerit vertens illa verba τῶν μελλόντων cenſeant doctiores.

Præterea Gynæcomyſtax animaduertitur in fœminis ætate prouectis, inſtante menſtruorum ceſſatione, non autem in omnibus, at in ijs, quæ vterum, vel teſtes, breuiter naturalia ſexus obtinent calidiora.

Hæc

Hæc autem vna est ratio, qua sanguis genitalis, vel seminalis, repletus nimirum spiritibus facultatis generatricis restagnat ad cutem, in eiusq; regionem promouetur, qui est materia pilorum huiusce ordinis, ac census.

Hanc opinionem ego scripsi, & publicaui Anno vndesexcentesimo supra Mille à Virginis Partu, atq; mense Aprilis, opus autem istud Mutinæ fuit impressum, cuius est inscriptio talis.

Opinio Marci Antonij Vlmi Patauini Philosophi, & Medici Define Medico Barbæ Humanæ: Quæ sunt Fragmenta desumpta ex eius opere, cuius est Index Titulus: Philosophia, & Medicina Barbæ Humanæ: Mutinæ In Aedibus Francisci Gadaldini M. D. XCIX. Superiorum permissu. Quod opus à Typographis. Vltimam manum accepit; veluti legitur in fine.
Die vigesima tertia Mensis Aprilis Diuo Georgio dicata. 1599.

Horum Fragmentorum perplura exemplaria hùc, illuc deferenda curaui, & viris doctissimis, Clarissimis, præterea & Amicis donaui. Mediolanum, Cremonã, Bergomũ, Brixiã, Veronã, Venetias, Mantuam, Patauium, Romam, Florentiam, Fauentiam, & alio etiam transmitti volui Fragmenta ex hæc operis, vt innotesceret passim hæc opinio & vera excipiatur, falsa refellatur, Quid autem sen

tiam

tiam de materia pilorum, atq; de materia pilorum barbaliũ, (cuiuſmodi ordinis eſt Gynæcomyſtax) apertè conſtat in ipſis Fragmentis. Nihil quippè aliud eſt Gynæcomyſtax, quàm barba Muliebris labro ſuperiori inexiſtens.

CAPVT SEXTVM.

Paradigma totius Operis futuri Aphoriſtici De Vtero Muliebri, ſiue Anacephalæoſis Notarum omnium euidentor, ex quibus deſumitur cognitio Temperamentorum Vteri Fœminarum, Partiumuè Genitalium earundem.

LIbet nùnc pro viribus enumerare ſummatim, at etiam diſtinctè notas, vel inditia ex quibus interſtinguere liceat coniecturà artificiosà, (cuius ea eſt ratio, vt cum plerunq; reſpondeat, aliquando etiam fallat) vteri Mulierum, ſeu partium generatrici facultati addictarum earũdem Temperamenta varia, Quod fuerit Proœmium quaſi Aphoriſtici ſtyli narrandi, atq; inſinuatio ſignata magis, Prę-terea Index Methodi, quã tenuimus, in opere hoc inſtituendo, conformando, cuius rei manifeſtatio non ſolum obfuerit, ſed maximè potius profuerit, cum Hiſtoriæ Vterinæ indiciali facilius cognoſcendæ, tum & id generis operibus (cuiuſmodi plura con-

conformari possunt, atq; oporteret in ipsa Medicina longissima, nisi immensa, & iam Scriptorum numero, varietate insuperabili) aut componendis, aut digerendis meditationibus, quas Artifices rationales Medici commentantur sibimet in tractandis operibus Artis. Veruntamen cum unusquisq; fere suo stomacho viuat, & seruiat isthæc omnia doctiorum, & doctissimorum uirorum subijcientes rotundo iuditio nostram orationem instituamus.

Conijcimus Temperamentum VTERI MVLIEBRIS, uel Partium GENITALIVM FOEMINARVM ex Notis pluribus, quæ desumuntur.

A PVBE.
A MENSTRVIS.
A VENERE.
A SEMINE.
A CONCEPTIONE.
A PARTV.
A PVERPERIO.
A CONFORMATIONE Proxima, & Remota.
A TEMPERAMENTO Partium Principum reliquarum.

NOTÆ à Pilis Pubis desumptæ.

NOTAE, quæ desumuntur à pilis pubis, accidentales omnes eæ sunt differentię, quibus ipsi obnoxij existunt, pertinent nanq; ad illa prædica-

menta,

menta, quæ sunt accidentia, cuiusmodi sunt quantitas, qualitas. Pili verò pubis omnibus subijciuntur accidentibus, quibus & pili reliqui, de ijs autem in opere nostro, cuius est Index Titulus. De fine Physico, & Medico Barbæ Humanæ, satis tractauimus, interea verò dicemus, quæ videbuntur sufficere, atq; breuiter. Differentiæ itaq; accidentalis pilorum pubis pertinent.

I.

Ad TEMPVS, iuxtà quod consideratur eorundem pilorum pubis exortus, atq; eiusdem. 1. Anticipatio cita, vel celeritas. 2. Tarditas, quod est oppositum. 3. Tempestiuitas.

II.

Ad LOCVM, siquidem pubes. 1. Aut latè quoquouersum diffundit aliquando semetipsam. 2. vel angustos terminos interdum obtinet. 3. siuè mediocriter expatiatur, sensus est Index, & Iudex.

III.

Ad QVALITATEM, Oportuerit verò considerare. 1. Colorem. 2. Figuram. 3. Raritatẽ, Densitatem, atq; horum oppositorum Moderationem.

IV.

Ad QVANTITATEM, eamque continuam, cuius duo animaduertuntur isthæc scilicet. 1. Pilorum Longitudo, Breuitas. 2. Crassities, Tenuitas, &c.

V.

Ad FACVLTATES eorundem pilorum,

hi CONFORMANTVR, AVGENTVR.

conformantur pili, quando ſuæ corporationis terminos accipiunt, conſequentes eam proprij ambitus metam, quam ex naturæ lege debent obtinere, Conformantur itaq; .1. Citò. 2. Tardè, 3. Tempeſtiuè. Auctio dat differentias quoq; accidentales, Nam pili ſtrictim ad Cutem attonſi recreſcunt. 1. Citò. 2. Tardè. 3. Tempeſtiuè, vt hæ omnes accidentales differentiæ à conformatione, & auctione deſumptæ ad ipſum TEMPVS pertinere videantur.

DE MENSTRVIS.

MENSTRVVM ſanguinem eſſe ſanguinem optimum, genitalem, & peritoma principij ſpecifici alterius, nempe fœminæ, atque (niſi adſit quid præter naturam) eſſe ſanguinem purum ego exiſtimo, cuius cauſſa efficiens exiſtat calor genitalis, ſexualis fœmineus, in quo tali caracteriſtico ſit facultas eiuſdem ſanguinis menſtrui effectrix, dixiſſem menſtruificam, niſi monſtrificam expauiſsẽ hominum dicacitatem, nugacitatem, atq; malitiã, hoc autem quod pronuntiatum eſt à nobis de menſtruo ſanguine ſatis probare conati ſumus in eorundem Phyſiologia, qnam notis familiaribus delineatam tenemus in diarijs noſtrorum ſtudiorum non equidem breui publicandam, quia vrgeant potiora, atque præſertim Phyloſophiæ accidentium vltimorum, ab vno & altero opere edito inuulganda propter aſſeuerandã naturæ ipſius Maieſtatem.

Noui-

Nouimus & nos illud (loquimur interim de sanguine menstruo) prudentissimè dictum à sapienti quodam viro humaniorum studiorũ, sed & scientiarum, ac linguarum Augusto. Difficile est omnia legisse, Difficilius meminisse, Turpissimum negare, quapropter cautio est nobis dicere, legisse nos quicquid prisci Autores de menstruorum impuritate scripserint, sed hęc alias. Notæ quæ desumi possunt à menstruis, eæ sunt plures, considerantur enim.

Quando primùm ERVMPANT?

Quandò Fluunt.

In ERVPTIONE prima oportuerit animaduertere AETATEM, Prætereà & ADNEXA.

AETAS attenditur, quia pro varietate ipsius Temperiei partium genitalium, ac vteri solet vt plurimum euariare tempus eruptionis eorundẽ. Quæ fuerit. 1. Cita. 2. vel Tarda. 3. vel Tempestiua.

ADNEXA verò existunt illa, quæ contingere, & concomitari assolent &c.

II.

Dum fluunt verò ex lege naturæ ipsa menstrua, considerentur isthæc omnia, atque diligentissima cura adhibita.

I. QVALITAS.
II. QVANTITAS.
III. MODVS SVBSTANTIAE.
IV. CONGELATIO.
V. TEMPVS.

I. A QVALITATE primùm eruuntur plu-

res differentiæ accidentales, quæ ſubminiſtrauerint notas, vel iuditia, & fuerint

COLORVM differentiæ, quę pertinent ad ſenſum viſus.

TACTILES differẽtię, ſcilicet calor, frigus.

OLFACTILES differentiæ, quę reſpiciũt ſenſum odoratus.

A QVANTITATE deſumuntur notæ, cum fluant menſtrua.

1. Copiosè.
2. Parcè.
3. Mediocritèr.

A SVBSTANTIAE Modo, fuerint enim eadem.

1. Vel Craſſa.
2. Vel Tenuia.
3. Vel Mediocria.

Atq; videbis ipſa interdum in craſſitie, alijsuè differentijs prorſus conſentire, ſibi cõſtare, aliquando etiam à ſemetipſis diſſentire, neque ſibi conſtare. Nam in Periodo Fluxus illorum, vel ſpatio exierint primo die Craſſa, mox Tenuia.

A CONGELATIONE, quippè menſtrua fluentia, congelentur.

1. Aliqua Cito.
2. Alia Tardiſſime.
3. Nonnulla mediocris Temporis ſpatio.

Quas notas plurimi ſemper fecit Hippocrates, noſtro autem tempore video ſupinè à Medicis aliquibus neglectas. Quinimo neq; ſolent animaduertere quoto ſpatio temporis concreſcat ſanguis

ex venis effusus p Phlebotomiã; vnde valent docti Physici cognoscere seu conijcere qualis existat sanguis in venoso genere, præterea quomodo se habeant viscera præsertim vero vnum Iecur, quod est generandi sanguinis officina. Non vsqueadeo insanimus vt Medicos residere in cubiculis ęgrotantium velimus donec sanguis concrescat, sed hęc mandanda sunt assidentibus ęgro. Propterea dixit senex Præceptor. Neq; solum seipsum pręstare oportet opportuna facientem, sed & Aegros, & adsidentes, at eo deuenerunt intemperierum ipsi homines, vt cogantur miseri Medici tractare, atq; empyricè ipsam Medicinam rationalem, cuiusmodi Tirannis, vndecunq; sumpserit initium, viget maximè sæculo hoc nostro.

A TEMPORE desumuntur etiam notæ, siquidẽ considerare oportuerit quotis diebus fluãt, Mulierum nanq; aliquæ per diem unum duntaxat menstrua reddunt, aliquibus per sesquidiem; Nonnullis vero menses fluunt usq; ad tertium, & quartum diem. Alijs quoque producuntur longius.

De Indicijs à VENERE.

A Venereo concubitu desumuntur pariter notę conijciendi Temperiem vteri Fœminarum, quę autem considerandа sunt, illa censentur.

APPETENTIA.
DELECTATIO.
ADNEXA.

Appetentia, qua uritur Fœmina, copulandi sese

cum

cum ipso Mare, hic autem ardor considerat ur ad temporis differentiam relatus; Etenim aduenit citò, vel admodùm temporiùs 2. Nonnunquam tardius, 3. uel tardissime.

Sed huiusmodi consideratio pertinet ad eius principium. Considerat ur verò etiam porrò, scilicet in ipsis Mulieribus virum expertis, aut iunioribus, quæ vruntur hoc Oestro. 1. Aut frequenter. 2. uel raro. 3. sed & mediocri modo sese habent, vel illo mouentur.

I I. Sequitur uoluptas Venerea ipsum sequens concubitum, uelut umbra corpus, in qua consideratur.

1. Et sensus.

2. Et ipsum tempus, uel sensus iuxtà differentiam corporis.

1. Voluptas enim Venerea, aut est. 1. Vehemẽs, acerrima. 2. Vel è contra, scilicet ignaua.

3. Nonnunquam uerò inter utrunq; extremum medio modo se habet.

2. Præterea hæc eadem uoluptas consideratur iuxta ipsius temporis differentias. 1. Nam diu perdurat. 2. Vel est breuissima. 3. Vel utrunq; oppositum intercedit.

Adijcietur coniecturæ, si hæc inditia sensus, atq; temporis inuicem coniungantur iuxta omnes combinationes, quæ fieri possunt.

Restant annexa, uel consequentia ipsum concubitum, sunt autem hæc. 1. Lassitudo. 2. Robur à Venere peracta, quippe Fœminarum aliquæ dilassantur, ut horreant repetitos concubitus; sunt etiã

alię,

aliæ, quæ onere quasi leuantur, ut repetant amplexum, & concupiscant.

De Notis à CONCEPTIONE.

Mulier ueluti non concipit nisi ex maris copula; sic & conceptio æstimari debet iuxtà copulam utriusq; maris, & fœminę. Quapropter Physici (loquimur intereà Physici Physicè) nequeunt de uno principio specifico dicere seorsim, nisi cum relatione ad aliud, & oppositum. Nihilominus progredi etiã licuerit aliquousq; indicasse fuerit satis, Mox ingenia prouectiora, quæ uiguerint, cata, docta moderatione singulis utentur, sed auspicemur.

In conceptione oportuerit animaduertisse, quæ sequuntur.

1. FACILITAS, DIFFICVLTAS concipiendi: scrupolosiores homines addant & Anni Tempus, unde potuerint desumi forsan inditia.

2. SEXVS, concipiantnè marem, an fœminam, aut semper alterutrum dictorum, aut quem potius, uel frequenter magis generent marem, uel fœminam?

III. QVANTITAS consideratur, atq; eadẽ CONTINVA. 2. DISCRETA ipsius nempe fœtus.

Quantitas discreta subministrat inditia hoc pacto: Fœminę an sint vniparæ, an pariant gemellos? atq; aut rarò, aut non ita raro sed interdum, vidimus enim nos fœminas nonnullas, quę pepererint

rerint aliquoties Gemellos.

Quantitas continua & ipsa dat notas, neq; aspernabiles, sunt autem.

1. STATVRA, Breuis, Longa, Mediocris.

2. HABITVS corporis fœtus, vel pueri, qui aut fuerit plenus, & succulentus, vel strigosus, & exilis.

Quæ ambo considerare oportuerit in Gemellis, præterea SEXVM.

IV. PARTVS & ipse fuerit index, vel dederit inditia, signa, quę sunt.

1. FACILITAS.

2. DIFFICVLTAS.

Mementote verò quæ scripserit Hippocr. libro de natura pueri tex. xj. Cęterùm maximè laborãt, ac dolent in partu, & partus purgationibus mulieres primiparæ. Et quæ rarius pariunt magis dolẽt, quàm quæ sæpius.

V. SVPERFOETATIO.

VI. ABORTVS.

VII. MOLA.

De Notis à PVERPERIO.

PVERPERIVM similiter dabit inditia, quę recensuisse nunc fuerit superuaneum, sunt enim accidentalis omnes illæ differentiæ in menstruo sanguine à nobis consideratę, quas meminisse, & in Puerperijs cõsiderare potuerint ingenia legẽtium, audientium nisi hæreant memoriæ.

De

De NOTIS à SEMINE.

Quia proximè ab hoc opere inuulgato cogitamus narrare tantundem scilicet Aphoristico stilo scribere De Inditijs cognoscendi Temperiem Partium Genitalium Masculinarum, Præterea libros De caussis horum vtriusq; sexus adiungere Indiciorum, propterea de semine intereà eiusq; Notarum recensione tacemus consulto ad reliqua signa transeuntes.

De Notis à CONFORMATIONE.

CONFORMATIO ipsius corporis Mulierum subministrat Inditia, præsertim vero quam ego dico partis cõformationem, vel particularem; Alia namq; est conformatio vniuersalis, nimirum corporis reliqui; pendet vero hæc à cæteris animę facultatibus non à generatrice scilicet à viscera cerebro, corde, iecore; nos interim dicamus de particulari conformatione, quæ diuiditur, & in

1. EXTERNAM, & Remotam.
2. INTERNAM, & Proximã, vel Propriã.

In conformatione, quæ dicitur vel proxima, vel interior considerantur plura, nimirum

I. VTERI CORPVS, Moles, quæ obtinet has differentias desumendas

A quantitate continua, magna, parua, mediocri.
A modo substantiæ, vel concretione.

II. Post vterum consideratur eius os, & grande, paruũ, mediocre: cuius differentiæ sunt quoq;

Crassum, Tenue, Mediocre.

III. Sequitur PVDENDVM Muliebre, quæ dicitur vagina penis, à qua sunt hæ differentiæ.

1. Longitudo, Breuitas, Mediocritas.
2. Caliditas, Frigiditas, Humiditas, Siccitas.
3 Latitudo, Angustia.
4. Asperitas, Leuitas.
5. Caro compacta, musculosa, densa. Vel Exilis, tenuis, laxa, strigosa.

IV. Deinceps est NYMPHA, cuius accidentales differentiæ petantur.

A sensu Venereo.
A quantitate.

Sensus Veneris cognoscitur, quia hæc pars interdum sponte riget vel ex leuibus occasionibus titillatione modica; Ex adspectu ex audito, vel sermone rerum Venerearum. 2. Mox quia hæc eadem pars diutius rigeat attrectata, semenq; eliciat. Aut è contra ignaua sit ad erectionem, breui etiam. flaccescat rigens, erecta, neq; semen fœminę proliciat. Postremò quia inter ambo hęc extrema medio modo se habent.

A quantitate desumuntur accidentales quoque differentiæ, quoniam aut fuerit crassa, tenuis, mediocris. Aut longa, breuis, mediocris.

Postremò restant MYRTOCHILAE, quæ sunt iuxta os pudendi externum quasi alæ positæ, dant & ipsæ notas.

COLORIS.

QVANTITATIS, Parvę, Magnę, Mediæ.

Et hæc fere sunt, ex quorum accidentalibus differentijs

ferentijs liceat signa depromere, vnde conijciatur partium genitalium, vel vteri ipsa Temperies; quæ omnia pertinent ad conformationem internam, partium nempè intrinsecarum.

CONFORMATIO EXTERNA.

CONFORMATIO EXTERNA, siue longinqua respicit partes fœminę externas, & non deseruientes primò, seu proximè ipsi facultati generatrici Mulierum, sunt autem

PECTEN.
CHENEONES.
ILIA.
CLVNES.
LVMBI.

Pecten subministrat indicia, quatenus tumet Crassum, amplum: vel subsidet, exile, angustum.

A Cheneonibus verò desumuntur Notæ, quia sunt huiusmodi partes latæ, carnosæ; aut strigosę, Angustæ.

Ilia verò tument ampla, carnosa; vel tenuia, parua cognoscuntur.

Clunes præterea considerantur iuxta quantitatis, qualitatis differentias. Nam interdum tument ampliter, ac renituntur compactę, albæ, leues nitidę, conformanturq; adeò nonnunquàm ineptè vt appareant exuccæ, strigosæ, pendulæ.

In Lumbis postremo animaduertuntur, latitudo, angustia, & ipsa moderatio. Leuitas, hispiditas, aut lanugo. Carnis moles, & musculorum su-

biectorum quantitas, substantię modus. Color ipsius cutis.

MAMMÆ.

A MAMMIS, & earũ opere quod est LAC desumuntur pariter indicia: sunt aũt primò Mammarum considerandæ: VENTER, atq; ipsarum PAPILLA, in vtrisque autem

1. Quantitas, continua, uel moles.
2. Qualitas, vel color.
3 Substantiæ modus.

Mammarum venter, corpus, vel moles visitur interdum magna, sed & parua aliquando, prętereà mediocris; loquor de ipsis lac non adhuc habentibus, & fœminarum non grauidarum.

Earundem color animaduerti debet, sitne albus fuscus, pallidus, atq; id generis aliorum colorum, qui exercitatione melius quam oratione cognoscuntur.

Mammasadhuc videmus, aut sentimus compactas, quæ renituntur: vel molles, quę diffluunt. Priores stant quasi pectoribus affixæ firmiter: Posteriores verò propendent quasi auulsę corpora nanque glandosa, & spongias peculiares, prętereà cutem habent rara, exilia, hanc vero tenuem, laxam. Quę autem sunt priores mammæ pectori valdè adhærescentes, vt rotundatę surrigantur aduersę obtinuere corpus spongiforme, vel glandosum earundem, (quod est proxima lactis officina) densum crassum; postremò & cutis ambiens probe alta visitur compacta, neque strigosa.

Papil-

Papillæ Mammarum iuxta Quantitatis Continuæ, vel Moli Corporeæ Differentias tantūdem veniunt considerandæ, præterea & Coloris. Moles Papillarum referatur ad Mammarum Molem Color verò separatim attenditur.

De notis à LACTE,

LAC, quod est Mammarum Opus, veluti Semen Testium, & Sanguen Iecoris, dabit Notas haud exiguas, neq; negligendas, desumūtur autē

A QVANTITATE.

A QVALITATE.

A MODO SVBSTANTIAE.

Mammarum sunt aliquæ Steriles, vel ab ipsius Naturæ Ortu, vel mox agritudinum nonnullarum Violentia: quemadmodum aliquæ sunt Lactis feraciſsimæ. Lac breuiter funditur, seù Generatur Copiosum, Parcum, vel Mediocris Quantitatis.

In lacte considerantur Differentiæ Coloris: Aliud nanquè Albicat, & Splendet. Aliquod vero Fuscū, aut Citrinum apparet, sed & Pallidum.

Sapor deinceps animaduertitur Gustu, Dulcis, Aqueus, Insipidus, Acris, qui & breui Acescit. Olfactus pariter interstinguit Differentias aliquas Oratione fere ineffabiles, Exercitatione, Sensu perceptibiles: cognoscunt Periti, & sensus acerrimi homines ipsius vel Suauitatē, vel Insuauitatem.

Modus Substantiæ habet Differentias, & ipse aliquas. Nam aut Diffluit aquosum, Tenue: vel Concrescit subsistens.

Non

Non reticebo isthæc Axiomata, Vsu longo, & Curiosissimo semper fere mihi cognita; quæ Ratio tuetur, atque suffulcit.

Axioma Primum:

Si Thorax fuerit Paruum, & Mammæ Grandes, tunc Vterus fuerit Calidissimus, pariter verò & ipsæ Mãmæ.

Axioma Alterum.

Contrà verò si Mammæ Paruæ insint ipsi Thoraci Magno, Signum hoc est maximè proprium, seù Validissimum Vteri Frigidioris.

Veruntamen quia Noua omnia plerunque suspecta existunt, legite, audite, Coniecturam Analogicam, & Veracem, vsu nẽpe qui est fidissimum Testimonium, confirmatam, Dignitate etiam assecuratam Galeni Præceptoris.

Galenus lib. Artis Medicæ. Cap. XXIX.

Si Caput Paruum, Thorax autem Latus extiterit, Maximum hoc tibi fuerit Cordis Caliditatis Inditium. Cum verò Magno existente Capite, Paruus fuerit, Proprijssimum hoc erit Cordis Frigidioris Signum.

Consulto nunc supersedemus nos recensendis Inditijs, ex quibus licet conijcere Temperiem cæterarum Partium Principum, scilicet Cerebri, Cordis, Iecoris, hoc enim agere, perinde foret, ac Vniuersum Opus Artis Medicæ à Galeno Præceptore scriptæ huc importunè satis transferre.

De

CAPVT SEPTIMVM.

De membrana Virginali, seu Virginitatis quæ Hymen à Græcis nuncupatur.

Proximum foret Indices Aphorismos Temperiei Naturalium Fœminarum, vel Vteri, aut Partium eiusdem Sexus addictarum Facultati Generatrici prò viribus tradere conari, sed transuersos nos agit nec volentes, quæ Membrana, Hymen Græcis dicta, creditur passim inesse Pudendo Muliebri, antequam violetur Cunnus, quamobrem nonnulli credunt hanc Membranam esse quasi Virginitatis Custodem, ac sincerrimum Testem.

Hymen Membrana Cunno, seu Pudẽdo Puellari iuxtà Naturę leges insit, nec nè, principio dubitatur.

Consideranti acriter ipsam rem, & rectè iudicanti videbitur quasi Prodigio simile, nisi & supra cuiuslibet Monstrifici Operis Naturam, dubitari apud Naturæ Consultos, atq; Peritos de eo, quod est Obiectum Sensus cum Visus, tum Tactus illud sit nec nè iuxta legem Naturæ, quam impedita, & inuoluta sint oportet, Dubia, quæ vnius Mentis agitatione cognoscũtur, vbi de ijs, quorum Iudex est Sensus pertinaciter vsque dubitatur. Omnino verum est illud, nisi Oraculum à Plinio Hestorico narratum.

C. Pli-

Nullum tàm impudens Mendacium est, vt Tecte careat.

Quapropter minus erubescere oportet. Si frequentes etiam Optimæ Causſæ ſimiles ſint Malis, & Innocens Reus multis Veriſimilibus prematur, quod fruſtra interim dici à nobis crediderint homines minùs Prudentes. Manet nobis alta mente repoſtum, & Plenitudo tẽporis etiam aduenerit.

Non eſſe penitùs admirandum, ſi in Re ſenſili cæcutiant, labantur quandoque Mortales docet abundè Viperæ partus, & etiam Vrſæ Illam emori in lucem prodeuntibus eius Ventrem corrodentibus Viperillis credunt ferè omnes, & ſapientum plerique. Carnem informem ab Vrſa pari voluerunt alij, quos indicare nominatim videatur qua oſtentationi, quà Malignitati proximum, ij cum fuerint alias veri doctrinæ Fama, & veraci ſatis illuſtres, ſufficiat interim Doctiſſimi Viri teſtimonio ſummatim errorem vetuſtiſſimæ opinionis, atque late ſeſe fundentis notatum iugulare.

I. Cæſar Scaliger Exercitat. ſexta, & Rub. Vltima. De Subtilitate ad Hieronimum Cardanum.

Ariſtoteles in Quinto de Generatione Animalium ſcripſit idem ſuper oculis Hirundinum, ſuperque Fœtu Vrſæ: Eam Fœtus informes eijcere potiùs, quàm Parere; ſi vera dicunt, quos poſtea linctu effingat. Bonum verò Phidiam: ſi quantum demendum, quantum relinquẽdum

ſit,

sit, scicat. Quid huiusce Fabulæ Autoribus Fidei habendum sit, ex hac Historia cognosces. In nostris Alpibus Venatores fœtum Vrsam cæpere: Dissecta ea, Fœtus planè Formatus intus inuentus est.

Idem Scaliger Exercitat. CCI.

Viperas verò ab impatientibus moræ Fœtibus numerosissimis, atque iccirco erumpentibus rumpi, atque interire, Falsum esse scimus: qui in Vincentij Camerini Circulatoris lignea theca vidimus enatas Viperillas parente salua.

Næ multa sunt quę sancita sunt ex Vnius Vetustatis deerrantis Fide alioqui Falsa, & Sensibus ipsis repugnantia. Credidit huiusmodi Membranam dari ex lege Naturæ ipse Scaliger, cuius hæc sunt verba.

I. Cæsar Scaliger Exercit. CLXXV. Rub. 1. De subtilitate ad Hyer. Cardanum.

Est in Atlantis iugis Occidẽtalibus, quæ pars Surnag, ab incolis nuncupatur, Radix quædam, cuius esu ad Venerem Augendam, Continuãdamq; mirifice corroborentur. Quin aiunt: super eam si quis Vrinam reddiderit, illico turgere libidinibus. Virgines, quæ præsunt Pascuis, si super ea sedeant, aut Vrinam faciant, eis perinde rumpi Naturæ MEMBRANAM, atque si à Vico fuerint vitiatæ.

I. Cæsar Scaliger quantum licet hoc ex loco nobis colligere videantur credidisse, aut concessisse

huiuſmodi Membranam Pudendi Puellaris quam ſignificauit etiam adeſſe niſi Auicennas eiuſdem ſaltem Interpres in hanc ſententiam ſcribens.

Auicennas lib. 3. Fen. 21. Tract. 1. Cap. 1.

Et ante Violationem Puellæ Virginis ſunt in Collo Matricis Panniculi, contexti ex Venis, & Ligamentis Subtilibus valde, Ortis ex omni parte eius, quos deſtruit Violator, & currit, quod in eis eſt de Sanguine.

Quam Sententiam eijſdem ferè verbis pronuntiatam retulit, vos legite, audite.

Auicennas lib. 3. Fen. 21. Tract. 3. Cap. 10. De Regimine De uirginitatæ.

De Mulieribus eſt, cui accidunt, cum Violantur Dolores Magni, & propriè cum Collum Matricis eius eſt Strictum, & Panniculi Virginales ſunt Texturæ Denſa, & Virga Deuirginantis eſt Groſſa.

Hanc Membranam Cunni puellarem, ſcilicet inexiſtentem Pudendo Virgineo, ſeu Puellari conceſſit Auerroes & ipſe, eandem quaſi deſcribens (vt videtur) ſignatius, Orationem cuius iuxta fidē Interpretis legendam, ſiuè audiendam vobis nunc propono.

Auerroes Tract. 1. Collectaneorū. Cap. vlt. Rub. De Anatomia Vuluæ.

Et Orificium Vuluæ Virginis eſt Criſpum, & ex Criſpitudine

ſpitudine illa oriuntur Venæ Minutæ, habentes Pelliculam vnam contextam duabus Texturis; Vna tendit in longitudinem, & illa eſt Minor: & altera vadit in Latitudinem.

Conſulatis Rhazium T. 1. Cap. 26. cuius verba conſulto non recitamus daturi nunc Rhazium alterum noſtri cenſus Italum, nempe Nicolum Florentinum Virum, & Doctum, & multæ lectionis, qui Caracterem Rhazij Arabie omnino inſequutus narrat hæc legenda, vel audienda.

Nicolus Florentinus Tract. pr. Cap. ſeptimo. Sermonis ſexti.

De Anatomia Colli Matricis.

Dixit Alm. Os Virginis conſtrictum eſt, & Rugoſum, & in Rugis ipſius Colli Virgulares Venæ texuntur Subtiles, quæ, quando corrumpitur Virgo, rumpuntur: & prædictæ Dilatantur Rugæ. Et Auicennas dixit antè Violationem Puellæ Virginis ſunt in Ore, vel Collo Matricis ſcilicet iuxta Os Panniculi contexti ex Venis, & ligamentis Subtilibus valdè ortis ex omni Membro eius, ſcilicet Circumſtante ei, & hos Panniculos frangit, & deſtruit Violatio, & currit quod in eis eſt de Sanguine, ideoq; cum Violatur, Sangninolatur. Et eſt quod dicit Collum Matricis ab Ore eius Intrinſeco, de quo dictum eſt ſuprà, vſq; ad Os eius Extrinſecum, quod eſt Vulua totum Rugoſum habens Rugas ad Modum Sanguiſugarum, & eſt Pelliculoſum, Delatabile, & contrahibile tempore neceſſitatis, & indigentiæ Coitus, & Partus, & hoc eſt Membrum Pri-

mum, quod occurrit de habentibus aptitudinem ad Generandum.

Confirmat Membranam Cunnipuellarem in eodem Sermone Sexto iuxta Naturæ legem adesse Nicolus hisce verbis.

Nicolus Florentinus Tract. 3. & Cap. XXX. Sermonis Sexti.

De Virginatione, seù Violatione Virginis.

Mulier, quæ Virgo est, descernitur à Violata, & Corrupta per Visum, & Tactum Obstetricis. Quoniam antè Defloration em, vt in præcedentibus dictum est, Os Matricis est Velatum Panniculo, contexto Vents, & Arteriys: quæ cum defloratur, Rumpitur & inde Sãguis emittitur.

Et descernitur iste Sanguis à Sanguine Menstruo. Quia est clarus, & non Turbidus: Et quia est Paucus: Et quia solùm tunc emittitur, & non ante, neque Post.

Et Vrina quidem Virginis est Subtilis, & Limpida: Quia Viæ Matricis eius, & Vuluæ, Strictæ sunt: Quare non descendit in Vrina eius nisi quid Subtile, non ingrossans, neque turbisicans eam.

Et cum hoc Virgo mingit Subtilius. Et ad Longius, quàm Corrupta atque paullo inferius ait in eodem prorsus Capite.

Contingit tamen aliquando in Defloratione Virginis, quod Vulua eius inflatur, & tumescit, & curatur cum Sessione in Aqua Decoctionis Maluæ, & Pulegij: Et inunctione facta ab extra cum Oleo Ros. rec. vel Omphacino.

Dixit Auicennas. De Mulieribus, scilicet Virginibus est,

eſt, cui accidunt Dolores Magni cum violantur: Præcipuè cum Collum Matricis eius eſt Strictum. Et panniculi ſcilicet Superficiei Colli eius ſunt Debiles, ideſt Raræ Texturæ & facilè Frangibiles, tũc enim ſcinduntur. Et propriè cum Virga Deuirginantis eſt Ciroſſa, diſrumpens eos, ad quorum Diſruptionem ſequitur Sanguinis Fluxus, & Dolor.

Marcus Antonius Vlmus Patauinus.

Hæc ferè ſunt omnia, quæ legimus, & meminimus deſumi poſſe à Veteribus in Membranæ Cũni puellaris quæ Hymen dicitur, aſſeuerationem. Difficile tamen eſt Omnia legiſſe: Difficilius Meminiſſe: Tupiſſimum negare &c. Quid ſenſerint Andreas Verſalius, Realdus Columbus, Gabriel Fallopius cæteriq; Anatomici, vt legerim eoſdem intereà nõ memini, vnicuique lecuerit eorundem adire, conſulere Scripta ſi libuerit.

Vnum hoc ſcio, cum Quæſtio ſit de Exiſtentia eius rei, quod eſt Obiectum Senſuum Viſus, Tactus, eandem controuerſiam definiendam eſſe vtriuſque ſenſus Iudicis, & Indicis, vel alterutrius Fide, ac Teſtimonio.

Ego interim hoc ingenue aſſero ingenuus mihi hucuſq; ætatis hanc dictam Hymenem Membranam ſemper fuiſſe incognitam, vt eandem curioſiſſimus Senſibus, & acribus niſi acerrimis cognoſcere omnino ſategerem. Huius ad inueniendæ cauſſa (ſi forſan extaret) diſſecui Abortus plures Puellares, vel Fœmineos Octimeſtres, præterea, &

quæ

quæ vel ſtatim, aut Hebdomada, Menſe, ſeſquimenſe à Partu interiere, Diſſecui Fœminas Vnius, alterius, tertij, Quarti Anni vſque in Septenniũ, atque plures nullam vnquam animaduertere potui Membranem huiuſmodi Hymen vocatã, quin eius neque Veſtigium. Grandiores etiam diſsecui Virgines, nihil promoui. Scitote autem dictum à me, & conſulto fuiſse tractatam Anatomen diligentiſſimè vſque in Septennium, quia Puellæ ab hoc ætatis articulo tranſacto Locus eſt Suſpicioni hanc eandem vocatam Membranam interire corrumpi potuiſse, vel ab ipſa Puella Digitis ſemetipſam violãte, ſeù propter alterius, quiſquis ille fuerit homo, & quomodocunque contigerit) malitiam. hoc enim Virus apparet in huius ætatis nimirum Septenij articulo exoriri, ſuccreſcere, quando eatus Plato in ſuis Libris de Republica iuſserit huius ętatis Mares, & Fęminas vna amplius nõ eſſe alendas, at ſeparatim, locum ſignatum alibi docuimus, interea non ſuppetit, neq; uacat mihi pręcipitanter exaranti. Anatomico ſtudio an ego incubuerim diù, & diligenter ſecretus nouere ſtudioſi Viri, qui mea opera uti uoluerunt, inter quos uiuit nunc Vlyſses Aldrouãdus Naturæ Theſaurus, niſi Lingua, qui diſcruciatus eſt (illo referente) per biennium ut ſenſu cognoſceret Anatomen Partium Genitalium ipſius Gallinę, quam ego ipſius adſpicientis oculo, alijſque adiſtentibus unius tantum horæ ſpatio ſubieci, curauit hæc Naturæ Heros diligenter expingẽdas omnes Partes, mihi ſuis nominibus inſignitas, cuius Icones etiam tradiderit

diderit posteritati. Ego uel à Decimoquarto meę ætatis anno in hunc usque uirilis ætatis Articulum primum continenter fere secretus Anotomico incubui studio, neque humanæ duntaxat Spetiei, sed cæterorum quoque Animalium, Piscium, Auium, & Viuentium, & Defunctorum, quotiescumque dabatur occasio, cui semper eram in insidijs, eiusdē quandoque Artifex. Hoc enim Ratum habebam & Clauo (quod aiunr) trabali infixum Animo inhæresceba meo. A nemine mortalium posse intelligi (quantum licet nobis interea peregrinantibus à Patria illa Cælesti) Animæ Physiologiam, & Naturæ Maiestatem, nisi ab eo Viro, qui Corpora diuersarum spetierum, quæ sunt Animarum Organa, diligenter, curiosissima sedulitate longissime tractauerit, atque tractata cognouerit. Dixero breuius. Nemo intelligit plenique Physiologiam Animarum, (prout nobis datum est illas cognoscere) nisi is Anatomen Corporis diuersarum spetierum diligentissime consuluerit, Doctus, Perituſque existat Anatomicus. Sentiant alij quicquid velint, ego ita sentio, neque me pœnitet (verbo absit inuidia) diutius adeo tot annorum curriculo insudasse me Anatomico Operi exercendo, quod Vnum, & singulare quoq; stat Vestibulum ad Medicinam Rationalem recte administrandam, & qui Medicus Rationalis Anatomen saltem Humanæ Spetiei non probe tenet is omnino erit Luscioſus, nisi & Cochles, incurrit nanque plurimos errores, quapropter consulant id generis Medici Conscientiā suam quæ Theatrum existit viro Sapienti: Con-

ſcientia exiſtat qua Tortor, quà Iudex. Viro Probo, hic Murus aheneus eſto.

Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere Culpa.

Audite Iuſtitiæ, Virtutis Exemplar, Spirans & Simulachrum.

Seneca Vndecimo lib. Epiſtolarum. Epiſt. Octogeſimaſexta.

Nemo mihi videtur pluris æſtimare Virtutem, Nemo illi eſſe magis Deuotus, quàm qui Boni Viri Famam perdidit, ne CONSCIENTIAM perderet.

Sed proſequamur nos rem propoſitam, in Viã, quod ait Euripides, redeuntes. Videbitur fottaſſe aliquibus D. Auguſtinum Superiori Opinioni fanciſſe ponenti hanc Membranam, vel concedenti, quę dicitur Hymẽ, vos orationẽ eius legite audite.

D. Auguſtinus Lib. primo de Ciuitate Dei Cap. XVIII.

Neque enim eo Corpus Sanctum eſt, quod eius Membra ſunt Integra aut eo, quod nullo contrectantur attactu, cũ poſſint diuerſis etiam Caſibus, vulnerata Vim perpeti: & Medici aliquando Saluti opitulantes, hæc ibi faciant, quæ horret aſpectus. Obſtetrix Virginis cuiuſdam integritatem Manu velut explorans, ſiuè Maleuolentia, ſiuè Inſcitia, ſiuè Caſu, dum inſpicit, perdidit. Non opinor quemquam tàm ſtultè ſapere, vt huic periſſe aliquid exiſtimet,

stimet, etiam de ipsius Corporis Sanctitate, quamuis Mẽbri illius integritate iam perdita.

Marcus Antonius Vlmus Patauinus.

Non crediderim ego ex hac D. Augustini Oratione quemquam recte posse vnquam colligere, (aut ego turpiter labor) credidisse Augustinum Diuum dari Membranam Naturæ, interpretor siquidem Virginis Integritatem aliud, quàm ipsam Membranam, scilicet Coarctationes, Angustias illas Virginei Pudendi: Obstitrix nanque Manus penitiori intromissione, seu extendens violenter ipsius Oris Pudendi Exterioris, sed & Interioris Rugas dilatauit easdem, atque explicuit, quapropter Sanguis dimanauit. Hęc dico, quia ita sentio. Omnino si Peccare, & Peccanti fauere perinde est: A pari Falsum dicere Mentiri & Falsitati Verbo, Calamo patrocinari velle perinde fuerit. Quæ dico autumans hanc meam Sententiam, & Disquisitionem quasi diuinans futuris ætatibus, atq; etiam proximis Testimonium veluti meum acceptum iri vt interest meę Fidei, sinceriſſimam, quam sentio Veritatem, interim narrare scribere, alioqui ego sim homo periurus, sciens, volens neque decipi vnquam quenquam mortalium, neq; decipio modo scribens, neque decipiam pro virili hoc satagens. Cæterum vt hoc meum Testimonium liberaliter asseuerem, narrabo quæ præterea videantur confirmare nullam talem Naturæ Membranam dari etiam in Virgineo Pudendo, vos legite, audite.

Galenus libro De Anarome Viuorum.

Rubrica De Anatome Matricis.

Collum autem Matricis Lacertosum est, multas habẽs Pelliculas, & Inuolutiones ad modum Bursæ; Sicut & Collum Vesicæ, vt possit Dilatari, & Constringi, quando opus fuerit. Quoniam antè horam Partus ipsius Fœminæ Os Matricis constringitur secundum omnes suas Plicas, ad Modum Rosæ, cuius Folia complicantur, antequam Expandatur ipsa, vnde ita Strictus & Meatus Colli Matricis, quod solummodo viam habeat Vrina per ipsam. In Prima autem Defloratione dilatatur Collum Matricis, & Rumpuntur quædam Venæ Subtiles, quæ sunt in Dextra Parte ipsius Colli, & exit Sanguis.

Marcus Antonis Vlmus Patauinus.

Hic liber adnumeratur inter Galeno adscriptos libros, atque (quantum ego sentio) quicunq; illi censuerunt, recte iudicarunt. Causas reddere nunc haud vacat. In hac Periodo non meminit Autor quicquam prorsus De Membrana Naturæ, quam omnino recensuisset, vbi cognouisset: præsertim cum agat de Cunni Virginei Defloratione.

Habemus adhuc librum Galeni, cuius est Index Titulus, De Vuluæ Dissectione, in quo nulla fit mentio huius Membranæ, quæ Hymen dicitur. Attamen si vspiam meminisse debuerit Galenus de ipsa, omnino illum oportuisset hoc in Opere de ipsa verba facere, cum attingat, narret omnes Vuluæ Partes, atq; consideret eandẽ adhuc nõ vitiatã.

Nec

Nec decipiatur aliquis legens, aut ſupinè audiēs talem Orationem in eodem libro poſitam, quaſi pertineat ad huiuſmodi Membranam.

Galenus lib. De Diſſectione Vuluæ Cap. 2.

At Cunnus inanitas ea eſt, quæ inter Oſſa Pubis penetrat, extrinſecus Pelliculam quandam innatam habens Virorum Præputio correſpondentem.

Innuit enim Alas, vel Myrtochilas, Epiphiſes Cutaneas vtrinque Ori Externo Colli Vterini adiacentes, non autem ipſius Naturæ Membranam, quæ Hymen dicitur.

Vnum adnoto Librum hunc eſſe Mancum, niſi ego fallor, vos audite, legite, mox iudicatote.

Gal. lib. De Diſsectione Vuluæ Cap. VIII

Atque hanc Vaſorum Coniunctionem, neque Ariſtoteles, neque Herophilus, neque Eudemus agnouit, qui quidē Veri a me in præſentia commemorati ſunt, non quòd ſoli hoc ignorarint, ſed quod cum optimè Diſsectionem tractarint, hoc non aduerterint. Nam Dioclem, Praxagoram, Philotimum, ac reliquos fere omnes Veteres, ſicut Pleraq; aliæ, ita hoc quoque in Corpore noſtro ignoraſſe mirum non eſt, quippè qui rudem quandam, non Exactam Diſsectionis cognitionem habuerunt: Vnde neque vllam mihi illorum rationem habendam cenſeo: De his verò quid dicam, neſcio; Damnare enim eos cum in reliquis tam accurate omnia indagarint, non audeo: Sed nec Vaſa hæc adeò Parua ſunt, vt latere quempiam poſſint. De illis ſanè,

quæ quod Collum Veſicæ perueniunt, ſatis exquiſitè tractarunt, quod & in eundem locum vt in Maribus exeãt, & Glanduloſa ſint, & à Teſtibus profecta Vuluæ inhæreſcant: De his uero, quæ ad Cornua tendunt nihil dixerũt, cum tamen etiam hæc non minus euidentibus Meatibus Vuluam intrent, quam illa in Collum, & Genituram intus habere videantur. Sed de his in ſequenti Tractatu, vbi De Functionibus agemus, plura explicabimus.

Marcus Antonius Vlmus Patauinus.

Hic liber De Fũctionibus, vel Actionibus, quod ego nouerim hucuſque non fuit editus, neque ad manus noſtras peruenit, at plenius de Re iſta, alijs etiam diximus in Meridiatione noſtra, cuius eſt Index Titulus.

De Interitu Librorum Galeni.

Sed redeamus in Viam, ego hactenus me legiſſe non memini in quoquam Galeni Commentario vbi meminerit ipſe huius Membranæ Naturę quæ Hymen dicitur Græcis, & à me nouo conficto nomine Cunnipuellaris Membrana. Difficile tamen eſt Lecta omnia meminiſſe.

Vnum hoc ſingulariter admiror quotieſcunq; Membrana Hymen exiſteret in Pudendo Virgineo ex Lege Naturæ Virum Doctiſsimũ Rufum Epheſium in Partium nomẽclaturis Externarum illius non meminiſſe, Virum accuratiſſimum & oculatiſſimum, qui tamen has Partes Muliebres exquiſitè narrat, & Nymphæ meminit.

Arætæus, Aetius, Paulus Aegineta, ne verbum quidem hac de Membrana fecere.

At multa priſcis incognita demum à Poſteris fuere adinuenta, beneficio Naturæ, quæ nunquã vniuerſum tradit ſe cognoſcendam, at ſigillatim, & quaſi per Partes.

Concedo libenter, aio tamen hanc Naturæ ſemetipſam diſtribuentis normam, Legem cognoſcendę magis apparere, vel ſæpius in ijs, quę pertinent ad mentis agitationem, quam in ijs, quæ ſpectant ſenſuum perceptionem; Haud tamen ignoro & plura ſenſibilium per ętatum decurſum paulatim ipſis innoteſcere Mortalibus.

At quis ferat Pertinaciam negantium vires allati Argumento preſertim cum agamus de Parte adeò ſenſibus obuia qualis foret Hymen, quotieſcunque illa ex lege Naturę ipſius exiſteret.

Iugulo iſtos. Cedo huiuſmodi Membrana an fuerit ſupra cenſum cęterarum Partium, & extra Naturę leges, vt Morbi ſeu Morborum vires non quandocunque, quomodocunque patiatur? Apagete qui negatis inſani. At ſi Morbos experitur Hymen, Non illos paſſa fuerit vel ętate Maiorum Aetio, Paulo Aegineta, vel Aetate eorundem; qui legiſtis, aut audiuiſtis horum libros Virorum, nonne animaduertiſtis qua diligentia Naturaliũ Fœminarum tractauerint Morbos, quos referre non piguerit, vt appareant ſenſibiliter magis hactenus à nobis relata.

Paulus Aegineta lib. Sexto ſuę Medit. Cap. LXX.

Quibuſdam ingenti Magnitudine eſt Nympha, ita vt indecora turpitudine occurrat, & quemadmodum aliqui narrunt, aliquæ per hanc partem etiam arrigunt, veluti Viri, & ad Coitum concitantur. Quapropter Supina locata Muliere, quod ſuperfluum eſt in Nympha, id Volſella apprehenſum Scalpello reſecamus, vitantes, vt ne ex profundo ipſam excindamus, ne Rhiadica ideſt Fluida affectio ex hoc ſequatur. Sed & Caudam, quæ Carnoſa ab Vteri Oſculo excretio eſt, & Muliebre Pudendum replet, aliquando verò etiam ad Externas Partes inſtar Caudæ prominet, ſimiliter, vt Nympham reſecare oportet.

Sed audite, Caput legite Septuageſimum ſecũdum eiuſdem libri à Paulo ſcriptum, Rubrica

De non Perforatis, & de Phymo.

Mulieres quædam Genitales Partes non perforatas habent, quandoque ex Natura, quandoque incremento poſtea facto, Morbo aliquo prægreſſo; Et hoc aliquando in profundo, aliquando in Pudendi Alis, aut in Intermedijs Locis. Et aut ex Concretione, aut propter Obturationem.

Quod vero Obturat, Aut Caro eſt: Aut Membrana. Impedimentum autem Multum inducit hæc Affectio partim in Coitu, partim in Conceptione, aut etiam Partu: Quandoque etiam in Menſtrua Purgatione, ſi ſanè id, quod obturat, ſiuè Caro, ſiuè Mẽbrana ſit, penitus obſtruat. Nam in aliquibus id in medio perforatum eſt.

Omnino quotieſcunq; Paulus aut ex Antiquis, aut ſuo Marte, vel ſenſu cognouiſſet dari Membranam in Pudendo Virgineo iuxta legem Naturæ, meminiſſet nunc eiuſdem; Sed non meminit.

Puellam ego imperforatam vidi Bononiæ adoleſcens, quæ Sep'ēnium vix attingebat. Naturalia eius non equidem penitus erant occluſa, ſed Meatulum perexiguum obtinebant vnde manaret Vrinam, Diſſecta hæc, & nubilis facta, viroque tradita concepit, peperit.

Adhuc vidi Bononiæ (narro ipſius rei cognatione adductus) cum eſſem adoleſcens Puerulum Hebdomadarium (tot enim erant illi dies ab Exortu) in Xenodochio Expoſitorū Infantium quod eſt in Via Pomparum, ab Aedibus D. Mamolo Sacris nuncupata, natum abſque Podice, & omnino imperforatum, vita functum diſſecui, & animaduerti Rectum Inteſtinum in veſicam, & eiuſdem cauitatem deſinens. Vrinam viuens Infans reddebat canoſam, odore tetram, quæ nimirum ſtercus oleret, ſed nihil minus cogitabam tunc rerum vſu parum doctus, vix enim altero anno Tertium luſtrum attigeram, tentatum equidem fuit viam ſeu Podicem candenti Ferro conformare, at non reſpondit euentus.

Veruntamen hęc, & alia in Collectaneis noſtris Rerum Anotomicarum, & irrationalium, & Morborum, licet omnis Morbus exiſtat pręter rationē, quod addidiſſe voluimus non Dicta Scribentium rigidè, non ęquanimiter cenſentur hac tempeſtate à malignis hominibus, qui à me dicuntur Pſylli ipſorum Librorum, ij enim legunt vt errata dunta-

xat notent, pessimè cuncta interpretantes. Has delibauimus Historias nobis visas, in Mortalium Documentum, quapropter intelligant nisi desipiant, quando existeret Hymen, hanc Membranam vel non fuisse vt illam preterijsset Paulus, vel subijcendam cuidam Morbo, & excitaturam symptomata aliqua grauissima, veluti constat de Membrana exorta in Pudendo Fœmineo iuxta varietatem locorum.

Aut enim nascitur Membrana in anterioribus Partibus Cunni, tunc vero foret conspicua, quam Visus, Tactus cognoscerent.

Aut in proximo Ceruicis Vterinę, vel Oris eiusdem Vteri, quę afferret incommoda plura, neque aspernanda.

Aut exoriretur Membrana in Partibus Cunni intermedijs, nec propterea, veluti narrat Aegineta cessarent Damna exinde Fęminis obuenientia.

Sed audiatis Membranam, quotiescunque intra Pudendum femineum nascatur, fore, vel esse Caussam ipsius Sterilitatis. Legite.

Hippocrates lib. de Natura Muliebri T. 58.

Si Genituram non suscipiat, Mensibus secundum Naturam prodeuntibus, Membrana ante Vteri OS excreuit. Contingit etiam ex alijs Caussis. Cognosces autem hoc, si digitum admoueris Membranæ prætextum continges.

Interpretes, atque Censores conuenere accipiētes, hęc Vocabula (Membranę prętextum) legitur attamen in Greca Oratione ἀφη τῦ προβλήματος, quod

quod est dictu. Obicem, Impedimentum obiectũ tanges. Cuiusmodi Expositionem tradidit vsu iam receptus Interpres, atque Censor ipse recipit in lib. primo de Morbis Muliebribus, vbi legitur eadem prorsus Oratio, vos consulitote ipsos Libros.

Hippocrates lib. pri. de Morbis Mulierum Tex. XXXV.

Si Genituram non suscipiat Mulier, Menstruis secundum Naturam prodeuntibus, MEMBRANA præposita est, (fit etiam ex alijs Caussis) cognosces autem, vbi Digito Obicem contigeris.

Hippocrates lib. De Sterilibus Tex. 13.

Quum Mulier Genituram suscipere non poterit, necesse est, MEMBRANAM Superexcreuisse in Osculo Vterorum.

Marcus Antonius Vlmus Patauinus.

Nonne constat manifesto ex relatis iam testimonijs Membranam esse caussam Sterilitatis, quotiescunque innascatur Pudendo Muliebri, atque in penitioribus partibus? non enim potest Semen Virile ab Vtero excepi Fœmineo. Quapropter nõ est par credidisse Membranam huiusmodi ex lege ipsius Naturæ posse in illis Partibus oriri.

Dubitaueritnè aliquis de Veritate huius Historiæ? videtur sane id contingere posse quando re-

gnant interdum Ceruicosi homines, negantes id esse, quod sensu proprio non cognouerint, derogant cuiuscunque fidei, timentes, nè sibimet decessio fiat, cæteris Dignitatis accessio: Suæ sententiæ, validissimum scilicet hoc fundamentum habent suorum habetudinem sensuum (addebat Plutarchus lib. de Musica) Opinanturque si quid alij percipiant, id plane iam nihil esse, neque vllam habere Vtilitatem, quod euomere illos non puduerit legentes hãc institutam Membranæ Naturæ dIsquisitionem, at Dominus Malos malè perdet, & suam cuique Laudem benigna rependet Posteritas. Nos prosequamur institutum nostrum. Dixerint ne perfricta fronte videantur negasse. Quotiescunq; Membrana innascitur Pudendo Muliebri Causla steril tatis, qui exire possint Menstrua. Omnino Veritas est, Nemo vnus potest esse Medicus Rationalis Bonus is nisi fuerit Anotomicus optimus: Morbos, Morborum sedes, Naturam eorundem nunquam ipsius mentis agitatione conijcere valuerit, vnde Prædictio, & Vniuersa pendet Curatio. Equidem ego interdum Heracliti, Democriti aliquando vices gero, præsertim Suggestiscientes respiciens, qui de me tanquam de Homine Analphabetũ clanculũ sunt obloquuti, pingentes me quasi ex Cascorum Senatu rudiorem adhuc emersisse, qui Pythagoreus Musis iugiter incubui noscens illud. Homines loquuntur, Numina tacent, quod ego familiariter vtor dictum vsu mihi cognitum, neque ex lucidissimis illis meis Pythagoreis tenebris vnquam exijssem Persona huiusce Scœnę vita

nanq;

nanque noſtra niſi ſuos dirigat conatus ad Patriam Cœleſtem conſequẽdam, hanc non ingrediuntur ſceleſti homines quidnam eſt aliud Vita hæc mortalis uiſi Fabula quædam Scœnica, in qua procedit vario cultu gens abdita,& quiſque ſuas peragit partes,at Proſcænium ingreſſi nos qui ridemus, & ridemur,tueamur quæ interim ſunt noſtra.

Eqnidem ſi Menſtrua extrent tantùm de Ore Vteri dubitaſſent recte,qui fieri poſſet, ea vt egrederentur ſecundum Naturam quando Membrana intrinſecus naſceretur ante os eiuſdem Vteri. Verũtamen fluunt Menſes etiam ex Venis Colli eiuſdem Vteri,quas cognouit Præceptor vetuſtiſſimus niſi fallor cum ſcripſerit.

Hippocr. Aph. Sect. v. & Aph. LX.

Si Mulieri Vtero gerenti Purgationes eant impoſſibile & Fœtum eſſe Sanum Galenus in Commentario ſcribit.

Excretio verò, quæ in Grauidis fit, videtur ex Venis, quæ in Collo ſunt apparere. Nam ab Interioribus, quæ ſunt in Cauitate Vteri Secundæ pendent, quare nihil poteſt per illas in Muliebrem Sinum excerni.

Marcus Antonius Vlmus Patauinus:

Has indicauit Venas,& docuit Galenus alijs plurimis in locis,quæ nunc mihi præcipitanter exarãti haud ſuccurrunt,videtur autem eaſdem innuiſſe in his verbis,legite,audite.

Galenus lib. De Dissectione Vuluæ Cap. V.

Sunt idem aliæ quædam Arteriæ, & Venæ, quæ vtrinque Cervicem Vuluæ ineunt, ab ea, quæ ad Cunnum, & Sedem tendit, discissæ.

Marcus Antonius Vlmus Patauinus.

At iugulemus istos peruicaces. Nascatur Membrana Hymen in medio Pudendo Muliebri, qui exierint Menstrua, tamen ea prodeunt ex integris Virginibus, perplures enim viuunt illibata prorsus Corporis Castitate.

At erit perforata Mẽbrana Hymen, quiduis absurdum confitebuntur ne homines mali herbam porrigant; at non est hoc Absinthium bibere. Tu contumax nimirum & Lynceus, cæteri nos, & ego Hypsea; veruntamen exaudio vos mussantes illud quasi dictum Viri alioqui Mollissimi. *Sustinenda omnia, dum viuamus*. A Pari vos, Fingenda sunt omnia, & comminiscenda nè cedamus.

At Hymen Membrana nonnè in modo Substantiæ Densitate, Raritate, præterea Crassitie Tenuitate variauerit iuxta differẽtias Tẽperamentorum Primorum & Genericorum, adhuc etiàm Characteristicorum seu Indiuidualium, quę nisi satagat Medicus cognoscere, is vt Rationalis fuat, semper medebitur Empirice, cuiusmodi Medicina plerunque regnat, scilicet Medicina Rationalis Empyrica, hanc vsurpant Medici illi qui vbi memoriter habuerint nescio quæ Axiomata Rationalia,

nalia, & quaſdam Sectarũ Cantilenas ignari prorſus Phyloſophiæ tamen illis non vtuntur, ſed Empyricè abutuntur, qui (ſane melius ageretur cum illorum ægrotis) vtinam Empyricem Medicam priſcam obtinerent, at veterno peræq; omnes occupamur. Eſſe autem Officium Medici boni, vt ſatagat cognoſcere Temperiem non Generatim, at Indiuiduatim ſeu cuiuſcunque Indiuidui quãtum licet homini coniectura id conſequi legite audite.

Hippocr. lib. de Sterilibus Tex. 18.

Cæterum conare (ò Medice) vt PHYSICVS ſis, ad hominis habitum, ac Robur reſpiciens. Ex his enim nullus eſt, qui non omnia ad amuſſim faciat. Proinde ex his ipſis Coniecturam faciens, totius Corporis, & Capitis Purgationibus, Medicamentis, & Veteri fomentis, ac appoſititijs vti conare. Hæc autem Elementa tibi ſunt.

Marcus Antonius Vlmus Patauinus.

Coniectura vero aſſequimur Temperiem Indiuidualem, Radicem optimæ Curationis; Coniectura autem Multam quidem Rationis ſpeciem habet, non item Synceram Veritatem irrefragabiliter aſſerit, ſed veriſimiliter. Coniectura eſt quantum ego ſentio quaſi Veritatis Vmbra, & hoc per Figurã dictum ſit, Filia Luſcioſę, Tenebricoſæ Rationis noſtræ, ſed hæc plenius, & planius declarata ſunt à me in Opere cuius eſt Index Titulus:

Sed amphora cæpit institui, iam Vrceus exit aiebat Satyricus Venusinus. Si Hymen Membrana debet variare iuxta Temperamenta Generica, & Caractetistica dabitur quandoque Hymen Membrana Crassa, Densa, cedo quo abeunt disruptę ipsius reliquiæ, non rebellant? hæc tamen legimus nunquam, aut contigisse audiuimus.

Auenzoar Vir in Medicina faciũda vndequaq; doctissimus huius Hymenis non meminit, quis autem fuerit hic vir? vos legite audite.

Auerrous lib. 4. Collectaneorum. Cap. 40.

Et Auenzoar similiter vt Rhazis est testificatus, cui in hac scientia Medicinæ debet concedi Corona, quia vixit Centum Triginta quinque Annis, & in Quadragesimo Anno in hac Arte operari cæpit & in bono obijt statu, & in habitu Scientiæ vidit, quanta videre, & cognoscere potuit, ergo sui libri credendi sunt, & ipsius Testimonia.

Auerrous lib. v. Colect. cap. 31.

Abinzoar fuit supremus in Scientia Medicinæ à Galeno vsque ad nostra tempora.

Auerrous lib. 7. Collect. ad finem.

Vnicuique volenti ad huiusmodi præclaritatis Scientiam peruenire, bonum est, vt libros Abimeron Auenzoar

studiose

studiosè legat: Nam illic Medicinæ Thesaurus patet. Et Deus nos ab Errore exuat, & ex ipsius Lumine nostros Oculos illuminare dignetur.

Veruntamen audite, legite ipsum Auenzoarem nihil de Hymene loquentem, etiamsi verba faciat de Cunno Virgineo defloratо.

Auenzoar lib. 2. Tract. v. & Cap. vltimo. Rub. De Laniatione Matricis.

Hoc quidem accidens aliquibus mulieribus euenit in tempore Partus; aut quando violantur à Virginitate.

Marcus Antonius Vlmus Patauinus.

Sed Communis Opinio tot ætatibus inueterata nisi portionem Veritatis obtineat, saltem Vmbram quandam eiusdem possideat necesse est, hęc autem nil aliud existit, nisi Sãguis, qui erumpere solet plerunque in ipsa Virginea Defloratione prima. Hic autem exit nonnunquam Copiosus, nam Phallus rigens Crassus præ angustijs virginalibus irrumpẽs Claustra Pudoris violenter eadem dilatat, rugas omnes explicans, quapropter contingit Venulæ aliquæ vt lacerentur. Adijcit Violentiam Frictio diutina quæ & ipsa sanguinem prolicit, fuerit argumento Manus Cutẽ externam leuiter attrictãs, fricans, quæ allicit interdum & liberaliter Sanguiuem, vndè rubet florida. Cogitatio subeat quid valeat Phallus rigens in Partibus illis interioribus Cu-

te

te Mollioribus, ſubſtantia Carnoſis, præterea quæ Vaſa obtineant cum ſeſe Motus addat comitem inſolens, violenta illa exercitatio, contrectatio Sãguinem, ac Spiritus liberaliter aduocat in Partes Genitales proximas, quapropter affectus, & diuexatus Cunnus euomit ſanguinem. Quia priſci viderunt illum manantem, propterea intus Panniculum, ſeu Hymenem ſtare crediderunt, ſeù credi voluerunt, Multa enim, fingunt homines vt Malitia infrenetur, & conſultò, & ſapienter, quemadmodum etiam nonnulla prudenter ſolent occultare, hæc ſunt Offitioſa Mendatia auerruncandæ ſi fieri poſſit nequitiæ cauſſa, illa enim contagioſa eſt, ac facile, & latè ſerpit. At eſt nè aliquod virginitatis Inditium hæc alia Quæſtio eſt, nec huius interea temporis, Omnino ſi aliqua eſt Cognitio Virginalis Cunni, illa eſt Conjecturalis, infida, lubrica, fallax non nego tamen plura eſſe Inditia, quę numero vrgeant à Facie, à Suffitu, ab inſpectione Cunni Rugarum, & Quantitate Continua. Neque mirentur homines apparere ſigna Verginitatis in Facie ſi dixerim, nam vt fallere poſſint aliquando, tamen inexiſtunt, & ego huic potius Parti ſcilicet Faciei credo, & crederem, quam Cunno, Ars enim interdum ſenſus decipit, non deſunt Mulieribus Mangonia, Veruntamen Faciem quid interpollauerit hactenus ignoro.

Athenodorus Oct. lib. Deambulationum Ex Laertio in Vita Democriti.

Refert Athenodorus cum ad illum Hippocrates veniſſet, iuſſiſſe afferi Lac, inſpectoque Lacte, dixiſſe: Capellæ primi Partus, & Nigræ eſt. Vnde maximum Diligentiæ ſuæ miraculum Hippocrati feciſſe. Sed & Puellam Hippocratis Comitem primo die ità Salutaſſe. Salue Virgo. Poſtridie verò. Salue Mulier fuerat enim Puella nocte illa vitiata.

Marcus Antonius Vlmus Patauinus.

Si qui negare audeant, ne ij ſunt Phyloſophi ex Commentario, alteri ex libro Nautæ. At Inditia trade. Cedo qui interſtinguitur Vox ſingularium hominum Socratis à Platone, Petri à Paulo, nam vt ait, Plinius, docet Experientia, Vox maximam partem Vultus habet, Sua cuiq; eſt Indiuiduo vox Indiuidualis, atque rariſſime inueniuntur homines duo, qui eandem vocem obtineant, ego vt curioſiſſimè id obſeruarim, veluti cætera Naturæ Opera, tamen vix duo reperi Exempla hominum qui fuerint Vniuoces, vnam & eandem ſcilicet habeãt Vocem, citius quantum experimento promouimus adinueniuntur homines Vnifacies, qui vnam & eandem obtineant Faciem, quales depinguntur à Poetis, narrantur ab Hiſtoricis, præſertim à Plinio & Valerio Maximo, Plutarcho, & alijs.

Quæ tu non noſti, fortaſſe nouit oſellus

O Bone vir qui decempeda tui Ingenij, & Senſus

aliorũ Ingenia & sensus dimetiri audes. Multa sũt Sensibus ẽt percepta cognita, quę tamen sunt ineffabilia, sed qui hęc negãt, nõ sunt philosophi, Phylosophia sane acquiritur ex Libris, at non solum, veruntamen ex assidua, longa, diligentissima contemplatione operum Naturæ, qui huiusmodi Metam satagit pertingere, nauiter illum sese exerceat oportet non supine, sed hæc alibi satis excussimus.

Vnum hoc nõ reticebo Virgineos Cunnos posse vitiari absq; Sanguinis effusione præsertim quãdo adsint hæ conditiones.

I. Vbi Cunni conformatio sit ampla ex Natura
II. Si Modus Substantiæ fuerit Laxus
III. Si Cunnus obtineat Frigidam Temperiem
IV. Si Venæ habeant corticem duriorem, paucæque insint Cunno
V. Si Sanguis fuerit Crassus, & Paucus.

Quotiescunque ex parte Virginis hęc adsint vel Omnia, vel pleraque, credere tunc par est in eius Violatione nullum posse sanguinem fundi, præsertim.

Si Phallus fuerit Exilis, neque rigens admodum, & momento fere vir peragat Venerem, absq; valido Motu, sitque Virgo ætate prouectior, neque Marem deperear, sed auersetur & Venerem interea temporis. Vix enim credi potest, quantum afferat momenti ad hanc rem Animi affectus, qui plerunq; auertit Sanguinem vniuersum fere à Partibus Genitalibus, quapropter violata Virginea Claustra nullum effuderint Sanguinem. Haud negauerint qui experimẽto cognouerint Affectuum

ipsius

ipsius Animi Vires, aliqui spatio noctis incanuere toti, alij obriguere in Vestigio vt vita defunctos representarent. Nonnulli etiam repente nuntio audito, vel re visa interiere: legantur Historiæ, sed rerum Euidentium ipsam Veritatem aliquando leuat Orationis prolexitas, & Moles testium, vel Numerus.

Contrà verò vbi fęmine, seu Virgines obtineãt.

I. Cunnum Arctum, Angustum
II. Eundem abundè Carnosum
III. Sed & compactum
IV. Qui Venas habeat Plures, Corticis Tenuioris
V. Si abundet Sanguis
VI. Atque is Tenuis
VII. Calidus
VIII. Virgoque appetat Venerem, & Marem depereat
IX. Moueaturq; valde
X. Venus prótrahatur
XI. Feraturque animo impotenti in eandem

Sanè tunc par est Sanguinem exire Copiosum, præsertim si Mas existant Lastaurus, scilicet Crassum, & Magnum habeat, Penem eundemque maximè rigentem.

Vnum est illud adijcio, nimirum si Virginis Mẽstruum Vectigal instet, nam hoc imminente Naturalia Fœminarum, earumque Partium Vasa Sanguine abundant, Ratio dictat, Sensus docet, attamen legite, audite.

Galenus lib. De Dissectione Vuluæ Cap. 8.

Cum Menstruorum Purgatio instat, Crassa planè Vulua, ac Tumens apparet, vtpotè Sanguinis Humiditate irrigata: Tenuis contrà, atque Arida, cum ab hoc Expurgationis tempore longissimè abest.

Marcus Antonius Vlmus Patauinus.

Intellexi ego ab ingenuis hominibus Virgines aliquas violatas in ipso congressu primo Sanguinem non fudisse, quarum Corpora tamen erant integra, quæ mox ab altero die Sanguinem aliquæ liberalem, aliæ Paucum fudere. Quippe earũ Cunnus ex frictione Veneris repetitæ inflãmationem contraxit, crassiorque factus ex Sanguine qui adijt partes, mox eundem fudit. Præterea Virgo Septennis deflorata à meo famulo Horatio Spilambertensi non effudit Sanguinem, illi enim concumbẽs moderatione interposita, atque Dierum spatio vsque adeo sensim, & sensim dilatauit Claustra Pudoris, vt sanguen haud manauerit quando Cunnus excipiebat Colem vniuersum. Caueant itaque homines dijudicare audere Virginem ex ipso Sanguinis fluore dum Vitiatur, habeo etiam Honestissimæ Matronæ synceriſſimum Testimonium, quæ asseruit se Virginem cum fuisset à Coniuge violatæ nihil prorsus fudisse sanguinis. At clausulam præstas imponere huic negotio, concludamus itaque Doctissimi Fernelij Testimonio viri etiam integerrimi Disquisitionem iam longius fortasse quam

par

par sit, vel esse debuerit promotam, vos legite audite.

Ioannes Fernelius Physiologiæ suæ lib. pri. Cap. VII.

Vteri Cernicem medio circiter progressu plerique tradunt in Virginibus exili Membrana dirimi, Venulis conspersa, quæ primo Concubitu profuso Sanguine disrumpi solet, vndè ὑμὴν, & ὑμένιον Græcis appellatur. At potius censeo Ceruicis latera nondum Venerem expertis dũtaxat quasi conglutinata conniuere, quæ primus Concubitus magna ex parte diuellit.

Marcus Antonius Vlmus Patauinus:

At sensus deijudicet Veritatem experiantur Digito, & explorent Cunnos Viuentium puellarum, aut Consulant Oculis, tunc erunt certiores an Hymen sit (veluti ego censeo) Fabula pura, puta, quæ ab Arabibus forsam dimanauit, veluti Viperarum & Vrsarum parientium Fabellę, quę risu digna explodantur à Mente Virorum Sapientium, & Prudentium. Non uegamus tamen ita aliquibus Puellis reperiri posse Membranam obsidentem interiora Cunni, sed fuerit præter naturam, veluti patet ex Testimonio Hippocratis iam relato.

CAPVT OCTAVVM.

In quo Aphoristicè narrantur Inditia Temperamentorum Simplicium, & Compositorum ipsius Vteri Muliebris.

DVO sunt præcipua, in quibus differunt Homines, non solum à Bestijs, sed & à Seipsis, RELIGIO, PHYLOSOPHIA, Vtrisq; verò si Mortalis careat, nę Homo iste fuerit etiam Bestia quauis immani tetrior, pernitiosior, quantum ego sentio. Religionem autem Philosophia esse potiorem nemo non cognoscit, hæc tamen ritè instituta, & rectè culta Singulare stat Vestibulum ad ipsam Pietatẽ cùm adeundam, tùm consequendam. Quapropter mox ab ipsa Religione viget regnat. Cum autem dentur Plures Philosophandi Gradus, inter cæteros, qui versantur circà hunc Mundum Sensibilem, præstare forsan videatur, qui ad Spetiem pertinet Humanam, cuius gratia facta sint Mortalia Omnia. Homo nanque (si Veritatem nos Mortales attingimus) est COELVM PARVVM, ac propterea DEVS volens Principium, & Finem inter se coaptare, vt Res necessitudine coniũctas, & Amicitia, Principium quidem fecit COELVM, Finem verò HOMINEM illud inter Sensibilia, & Incorruptibilia Perfectissimum (dixit Philo Iudæus) hunc inter ex Terra Genita, & Corruptibilia Optimum. Factum enim Corpus

qui-

quidem ex Humo, Anima vero ex nulla omnino re creata, sed ex Patre, atque Rectore Rerum omnium. Homo itaque si iuxta Mentem Diuino Verbo est cognatus, Beatæ illius Naturæ Sigillum, siue Particulæ quædam, siue Splendor, & Radius, item Mundo Vniuerso iuxta Structuram Corporis, est enim contemperatus ex eisdem Elementis, Terra, Aqua, Aere, Igne, singulis portionem suam conferentibus, quis non videt ipsum esse Mortalis, & Immortalis Naturæ Confinium, vt etiam dicere liceat Hominem esse Omnia. Corpus autem eiusdem, quæ Domus est quędam, aut Templum Sacratũ Rationali Animæ, quam illa Diuina Imago circũferre debebat, nonne par est credere summa Sapientia ab illa Ineffabili Sapientia fabricatũ fuisse? Omnino Blasphæmia existit, dixisse, Hominem Opus Dei Perfectissimum, vel quantum ad Corpus eiusdem pertinet, formatum esse insipienter, tunc vero tale foret Corpus Humanum, quando singulæ ipsius Partes & priuatim conuenientibus non absoluerentur Numeris, & aptè in Aniuersum non cohærent. Quapropter mirari satis non possum dixisse aliquos Mortalium Philosophantes, Corpori Humano inesse, quod Finem vllum non habeat, sed tantum pendeat ex Necessitate Materiæ, vsque adeo latè sese fundit damnãda Stultitia, seù Arrogantia, seu Temeritas eorum, qui facile vel asserere, vel negare de quauis re sustinent. An ignorant homines Physici, quotiescunque de Operibus Naturę, de Creatura dicunt, seipsos tunc, de Creatore DEO verba facere?

cere? Quid eſt aliud Natura; quàm Dei Poteſtas Ordinaria, Imago præterea quędam in Rebus Sẽ-ſibilibus elucens Ineffabilis Sapientię, eius Qui eſt? Miſeri, & Cœci Mortales quando Senſuum, atq; mancæ, oberrantiſque Ratiocinationis Humanæ Decempeda pueriliter, niſi & fatuè dimetiri audẽt Latifundia Ineloquibilia Inacceſſibilis illius Bonitatis, à qua cuncta ſunt, quæ ſunt, Meminerimus ego & ſemper hanc Veritatem, indignè, & irrationabiliter de Operibus Dei, & phyſicis diſputare, perinde eſſe ac eius Maieſtatem Blaſphęmare. Multa ſunt, Fuerint Mortalibus Occultæ: Neque enim Omnia quæcunque ſunt huiuſce Mũdi Senſibilis, facta fuere, vt intelligerentur, equidẽ ipſorum aliqua; Plura verò etiam, vt Homines tãtum admirarentur, licet rerum ſingularium omnium vel ſit potius Admiratio, quàm Scientia, ſemper enim quodcunque aliqua ex parte latet Mortales acerrime etiam Contemplantes, vnde prouehimur (quantum nobis licet) ad plenius conijciendum ea, quæ Dei ſunt Creatoris, ob vtraſque verò Cauſſas dixerimus optime, ac verè, Sapienti Viro Multa licet ignorare. Nos iterim Inditia Temperamentorum Partium Fœminæ Genitalium narraturi hęc breuiter præfari voluimus ad coercendam illorum petulantiam, qui aut ex his ſpernent multa, & relata faſtidio quodam puerili damnaſſe audebunt, haud intelligentes in contemplatione Naturæ ambitus nihil poſſe videri Superuacuum, atque multo minus in Homine, cuius veluti eſt ſuprema Dignitas cęteris Mortalibus comparati, ſiç

in ipso conformando vel præcipua Naturæ constat Architectio immensa vero eiusdem Naturæ subtilitas circa ipsum clarius appareret, nisi Ignaui, & Ignari homines cuncta pernicie corrumperẽt. quippè Mortales Ignorantiæ pudore interdum & mentiri non piget, neque alius est Fidei pronior lapsus, quàm vbi Falsæ Rei, vel Temporis ipsa Longinquitas, vel Testium Numerus, vel grauissimi cuiusdam Viri Silentium accedat. Sed rectè intuenti, se persuadet Rerum Natura nihil Incredibile existimare de ea, cuius Legem Plinius considerans, & Voluntatem ait Neq; omnium Rerum afferre posse Caussas minus mirum est, quam constare in aliquibus. Hinc apparet Docti, atq; Prudentis Viri interesse, Plus semper in omni Opere Naturæ putare Artis, ac Sapientiæ inesse, quàm attingere valeat Humanum Ingenium; Non secus ac Prudẽtes, & bene Consulti Mortales, qui plus semper in omni re putant incommodi subesse, quàm appareat. Vnde monuit nos Doctissimè Augustinus Diuus. Homines nunquam obliuiscantur se esse Homines neq; Deo dent Insipientiam, quia non plenè capiant eius Sapientiam.

NOTÆ VTERI MVLIEBRIS CALIDISSIMI.

PVBES.

MVLIER, quæ habuerit VTERVM CALIDISSIMVM, huic PILI PVBIS Citò Erumpunt,& Conſummantur Craſſi,Denſi,Nigri, Duri, Longi,Qui & Attonſi Recreſcunt Breui. Pubes Latius porrigitur ad Vicinas Partes, & ſuprà Sumen, ad Laparas quoque ſed & Plichades.

MENSTRVA.

MENSTRVA in hiſce Fœminis Temporius Apparent, ſcilicet Annum circiter nonnunquam Duodecimum exeuntem, quemadmodum nobis cognitum eſt,vel Decimum Tertium. Rara tamen illa Temperies exiſtit, ſiquidem omnis Exceſſus ſemper infrequens obſeruatur. Menſtrua Tardius deſinunt. Fluunt Pauca,Rubra,Calida.

VENVS, & SEMEN.

APPETIT hæc natura Marem, cum Citò,tum frequenter. Delectatur vehementer in ipſo Concubitu, non tamen Diù. SEMEN fundit Breui, neque Difficulter, idem Calens, & plerunque Craſſum.

Expe-

Experitur Mas Vteri Canalem, seù Pudendum ipsum Calidum, aliquando & impense. Quod Humectatur Parce, atque Breui Resiccatur.

CONCEPTIO.

CONCIPIVNT Mulieres huiusmodi frequenter (quod pertinet ad ipsas) Masculam Prolem, rarò autem Oppositam, Veruntamen si Fœminas pariãt, hæ sunt Viragines, quarum Signa interserere opportunum, quinimo necessarium iudicamus Narrationi susceptæ, hac enim Voce, sed & Oppositа iuxta Principium vtrunque sumus vsuri, dantur quippè Mares, ac Fœminæ, ambo scilicet Principia non Vnius Ordinis, verũtamen Triplicis cuius rei hoc esto summarium.

Generatio fit coeunte vtroq; Principio, & Mare, & Fœmina, Prodit autem ex ambobus Semen qua Masculum, qua Fœmineum, atq; propter ista rum commixtionem variam contingit quoq; Varietas cum in Maribus, tum in ipsis Fœminis Dantur quippe Mares Census Triplicis, & Fœminæ tantundem.

Primò enim est Mas omnino, vel Sipliciter Mas

Mox datur Masculus non omnino, vel non Simpliciter Masculus.

Tertiò gignitur Masculus Androgynus

Digeruntur pariter Fœminæ vno, eodemque caractere. Quæ est Doctrina Hippocratis, quando libri, quorum est Index Titulus De Diæta sint Hip

pocratis, vel Magni, aut Vetustissimi, nisi fuerint Nepotum, scilicet Filiorum Draconis, ac Thessali, horum enim Nati ambo dicti sunt Hippocratis Nomine, quemadmodum fusius, & apertius traditum fuit à nobis in capite Priori, eodemq; Historico PHYSIOLOGIAE Pilorum Humanorum quam nũc interea temporis exaramus præcipiti etiam Stylo, Capitis autem Prioris atque Historici iam relati hæc est Rubrica.

Qui, & Quot fuerint Prisci Medici Nomine Hippocratis nuncupati ex Galeni Testimonio?

Hoc autem Capite digerimus pro virili ipsos Hippocrates, atq; iuxta Consanguineitatis, vel Generis normam. Sed ipsum Autorem, vel Hippocratem legite, audite.

Hippocrates libro primo. De Diæta. Tex. xxi. & xxij.

Siquidem igitur Mascula Corpora ab Vtrisque secreta fuerint, Augescunt prò re præsenti, & fiunt hi Viri Animis Splendidi, & Corpore Fortes: Si non à Diæta posteà Detrimentum sentiant.

Si verò à Viro quidem Masculum secernatur, à Muliere verò Fœmineum, & superauerit, si ita contingat, Masculum (Genitura enim admiscetur ad Fortiorem, aut Debiliorem; Non enim habet ex præsentibus aliquid, ad quod familiarius secedere possit. Suscipit enim Parua Maiorẽ, & Maior Minorem. In commune autem super hæc, quæ adsunt, Dominium exercent) Corpus sanè Masculum augescit, Fœmineum verò minuitur, & in aliam sortem se-

cernitur: Et hi quidem minus Prioribus splendidi sunt, tamen quia Masculum à Viro superauerit, Viriles euadunt, & hoc Nomen meritò habent.

Si verò à Muliere quidem Masculum secretum fuerit, à Viro autem Muliebre, superauerit autem Masculum, Augescit eodem modo sicut prius, Fœmineum verò minuitur; Et fiunt hi Androgyni, idest Viri Effœminati, atque sic rectè appellantur.

Tres quidem igitur hæ sunt Generationes Hominum, differentes in eo, quod Magis, aut Minus tales sunt, propter Partium Aquæ Temperamentum, & Alimenta, & Institutiones, & Consuetudines, declarabo autem in processu sermonis etiam de his.

Cæterum Fœmellæ eodem modo gignitur.

Si enim ab Vtrisque Fœmineum secretum fuerit, Fœminosissimæ ac Ingeniosissimæ fient.

Si vero à Muliere quidem Fœmineum, à Viro autem Masculum, superauerit autem Fœmineum, Audaciores quidem Prioribus fient, veruntamen Ornatæ, ac Moderatæ etiam ipsæ.

Si verò à Viro quidem Fœmineum, à Muliere verò Masculum secretum fuerit, & Fœmineum superauerit, Augescit eodem modo, & fiunt hæ Audaciores ad hut Prioribus, & Viriles, ac Viragines nominantur.

Marcus Antonius Vlmus Patauinus.

Consulite ad huc vlterius Hippocratem in libro cuius est index Titulus. De Genitura. Verũtamen quæ sint Notæ, seu Characteristica Inditia Mulieris Viraginis legite, audite, siquidem vobis illam hisce quasi Coloribus depingo memoriæ mãdandũ.

Cha-

Character, seu Facies ipsius Mulieris Viraginis.

Est Virago Mulier plus iusto Calidior, Venosa, Colore Fusca, Corpore compacta, Neruos obtinet Robustos, identidem ipsos Musculos, atque eosdem satis expressos: Preterea Lumbos, ac Nates præ Sexu non admodum Amplas, sed & Pectus, ac Humeros Latiores habet, Mammas item Solidas, Quantitate Mediocres atque Lactis feraces parum sed & interdum Steriles. Vox eidem Grauis, & Verum aliquatenus mentiens inexistit, Nares Grandiores, Myxa earundem Patulæ. Mulier huiusmodi est Hirsuta, neque Purgatur, vel Raro, & parce admodum. Pedes Grãdiores obtinet (si Sexum respicias) neque Molles Breuiter omnibus ferè Notis à Cerebro, Corde, Iecore, Genitalibus quæ pendent Masculum refert, insuper & Mores eidem obtinet proximos Virago Mulier, vt non solum Corpore, sed & Animo ipsos repræsentet Mares.

Quas nos addidimus Notas, cum à NASO, tum à PEDIBVS desumptas, illas plerunque veras curiosissima facta obseruatione animaduertimus ipso Sensu. At Experientia Sensuum Alumna, Filia nonne corroboratur ab ipsa Ratione? Narium, & Myxarum Amplitudo inseruiũt Duobus Visceribus præcipuis CORDI CEREBRO, Quapropter Narium CONFORMATIO (vbi lex, Iustitiaque dominetur) præscribitur a TEMPERIE eorundem Viscerum Cordis, & Cerebri. Quemadmodum Conformatio Thoracis Recta Iusta sequitur Cordis Temperiem Narium itaque Amplitudo ratione Axiomatis iam à

me

me pronuntiato *est Inditium* Cerebri,& Cordis Calidi, quam Tẽperiem si hæc ambo Viscera teneãt, credere par est Vterum quoq; esse Calidissimum, hanc nimirum Notam vbi addideris reliquæ Syndromi Inditiorum. Nisi animaduertatis hoc Mysterij Phisici,iam non estis Physici,neque eritis Rationales Medici,sed ab Experientia Empyrici.

Amplius Magnitudo Pedum (secludo Monstra) est Index Nota Cerebri Calidi; nam Vis Ossifica viguit valuit. sed nimis forsitan excurrimus à proposito nostro digredientes, pertinent enim isthæc ad Indicaturam Temperamenti, quam libro proprio & iuxta Aphoristici stili Caracterem iam tractauimus, & publicabimus, Occasionem si cognouerimus. Cætera Inditia vos legere potestis apud Galenum,sed ex ijs aliqua duntaxat,vel apud Aetium Amydenum,vel Paulum Aeginetam, sed & Auicennam cæterosque huinsce ordinis Viros, & Fama,& Scripturarum Dignitate celebres.

PARTVS PVERPERIA.

PARTVS huic Naturæ Facilis est,nisi Conformatio repugnet, aut quidpiam Externum PVERPERIA eidem Fluunt Pauca,& ferè Menstruis consimilia,præsertim vbi Marem perpererit.

VTE-

VTERVS.

VTERVS est Magnus, Venas Amplas obtinet, sed & Arterias, quorum Vasorum ipsi Meatus existunt neque Minuti.

OS VTERI Grande, Hiat plerunque, in Concubitu Glandem arripit Phalli.

CONFORMATIO. &c.

CLVNES, Pecten, Lumbi visuntur Ampli, & hi nonnunquam Pilosi, vel obsiti Lanugine Pilari sentiuntur Calidi, Ilia tument Vasta.

PTERIGOMATA sunt Corporatiora; Nympha identidem Magna, Contrectata facile arrigitur, interdum sponte Prurit.

MAMMAE sunt Moderatæ, quarum Papillæ Rubent, sentiuntur Calidæ Lac fluit nõ equidem Copiosum, at Crassum, & Calens, vbi præserrim cætera consentiant Membra Principalia, COR, CEREBRVM, HEPAR.

VOcem habet Magnam hæc Natura.

VRina est Rubra.

PVlsus Velox, & Vehemens existit.

CAPVT NONVM.

NOTÆ VTERI FRIGIDISSIMI.

PVBES.

QVAE verò VTEROS habent Frigidissimos Fęminæ PVBESCVNT omnium Tardissimè: Pili existunt Breues, Molles, Tenues,& Subflaui: Consummantur etiam tardissimè. Strictim cæsi ad Cutem Recrescunt à longo Interuallo. Pubes est Rara,& Angustissimos Terminos habet,non enim circum circa liberaliter expaciatur.

MENSTRVA.

MENSTRVA Erumpunt cum Torminibus,& admodum Tarde. Ipsa Destillant fere,neq; Calida fluunt, at sentiuntur interdum Frigida, Tenuia, sed & Aquosa. Non Congelantur citò. Cessant per Aetatem Cito, Nisi Cacochymia subsit Corporis in Vterum, quasi Cloacam decurrens. Quod fuit antea Solum Seminis Genitalis,& Organum Generatricis Facultatis.

VENVS, & SEMEN.

APPETVNT VENEREM huiusmodi Mulieres, & Vix, & Omnium Tardissimè, præterea ex longis etiam interuallis.

Delectantur neq; admodum, neque Diù in ipso Coitu, & ab eodem repetito lassantur. Pudendum sentitur Frigidum.

Difficulter, ac Tardè in Concubitu Semen emittunt, neque cum Impetu, & idem Paucum, Subcalidum, Aquosum.

CONCEPTIO. PARTVS.

CONCIPIT, (quantum ad se pertinet) difficulter, q; Rarò, atq; Fœminam, vel Marem Fœminarem huiusmodi Mulier, prę sertim vbi Iunior existat, vel Aetate prouectior, Nam Calore Naturali Consummato atque Vigente poterit sæpius grauidari. Nũquam Superfœtat, quod hactenus dictum sit maiori ex parte. Vbi Molam Concipiat, difficulter euadit. Aliquando Septimo parit Mense, nisi Prius Abortiat. Partus est Difficilis.

PVERPERIA.

PVERPERIA Frigida, Nigra exeunt, interdum & Aquosa. Cachochymus fit nonnunquam huius Naturæ Vterus, præsertim si Hæmorrhagiam sit perpessus, quæ tamen Rarò contingit.

VTERVS.

VTERVS est Paruus, Venas obtinet Angustas, sed & Arterias Tenues. Obtinent verò huiusmodi Vasa Corticem Durissimum, & Mea-

tus

tus Exiles. Quamobrem Temperies hæc obnoxia est Suppressioni Menstruorum, Victus præsertim si addatur Ineptus, & adsint Exteriora, quæ suffragenturhuic Damno.

OS VTERI est Durum, & Occlusum plerunque, Contorquetur, facile.

PVDENDVM sentitur Frigidum, neque admodum Grande, at vbi semel Partu fuerit dilatatum, vix redit ad priores terminos quãtitatis.

CONFORMATIO. &c.

PTERIGOMATA, siuè Myrtochilæ, aut Rupes (quemadmodum illas Euripho nuncupauit) sunt Paruæ.

MYRTON verò, aut Nympha Exilis apparet, vix arrigitur contrectata, vel Tardè, Flaccescitque Citò, ac Raro sponte Prurit.

EPYSION, Pecten iacet, neque ample Tumet.

LVMBI Leues, Exiles, Frigidi, & nisi post Longum Tempus incalescunt.

OSSA ILION Parui sunt ambitus, neque extant Corporata: CLVNES non Tument.

LATERVM Mollitudo, seù LAPARA sunt Angusta.

PECTVS Angustum visitur: MAMMAE nõ benè Conformantur. Venas Tenues obscuras & Paucas obtinẽt: Incalescũt verò Difficulter. LAC est Paucũ, idem Serosũ, neq; CALidum.

Papillę Tenues, non Rubent, Exuctæ diu rigent Grandiores. Cutis Mammarum eſt Craſſa.

MEMBRA cætera Principum ſunt Frigidæ Temperiei, ac præſertim COR, & HEPAR.

VOX admodum Tenuis exauditur: Pulſus Tardus, ac Debilis. Vrina eſt Alba.

CAPVT DECIMVM.

NOTÆ

VTERI CALIDI, & HVMIDI

PVBES.

VTERI Muliebres ſi fuerint CALIDI, & HVMIDI Tempore Opportuno Pubeſcunt. Pili ſunt Molles, & à Denſitate recedunt: Flaueſcunt ijdem Pubes modicè attingit Circumſitas Partes, vt exeat rarò peculiares Fines. Attonſi verò non admodũ Celerimme Recreſcunt, præſertim Exuperante Humiditate.

MENSTRVA.

ERVMPVNT MENSTRVA Celeriter, nec Dolorifica valde, ſed leuiter, ac Breui. Et niſi Ceſſauerint Anno Quadrageſimo quinto

to protrahuntur vſque ad Quinquageſimum, ſed & Longius, vt rarò certe contingat. Vidimus autẽ nos aliquot Mulieres fudiſſe Menſtruum Vectigal vltrà Quinquageſimum tertium etiam Annum, quæ antea temporis & Concepere ſæpius, & nonnunquam Abortiere. Cęterum hæ Mulieres perrarò Aegrotarunt, atque vbi contigerit, Morbi ſeminarium extitit Plethoria. Et huiuſmodi Fœminę, ſiquę alię præſertim poſſunt Generare vſque ad Annum ſuæ Aetatis Quinquageſimum, & adhuc vltra ipſum.

Atque facultatis Generatricis Actionem prorogari interdum in Mulieribus docet Veterum Autoritas, prætereà Senſus, ac Filij nihilominus Robuſti generantur. INNOCENTIVS Parens meus nunc Septuagenario maior natus eſt ex Matre Quinquagenaria, quæ fuit MARGHERITA GATTAE Gentis Oriunda ex Nobiliſſima Vrbe Papienſi. Prorogari verò & vltra Annum Quinquageſimum Actionem Facultatis Generatricis in Mulieribus, quę Menſtruis vtitur, docet per Analogiam eiuſdem Facultatis Generatricis Anticipatio: conſtat nanq; Teſtimoniũ Puellam Nouennem Papienſem Grauidatam fuiſſe ipſum audite, legite.

IOAN.

IOANNES MICHAEL SAVONAROLA PATAVINVS.

Tract. sexto Practicæ Maioris. Cap. XXI. De Aegritudinib. Matricis Rubrica 6.

Propter quod sciendũ quod Mulieres Sanæ discurrẽtes cum Sanitate prò latitudine suæ Vitæ debent habere hunc Fluxum, inchoantes secundum plurimum in Anno Quartodecimo, quo Tempore sunt Completæ factæ Viripotentes, & Virtus fortificata magis, nec tanta Humiditas transit in Augmentum sicut in Annis præcedentibus. Et hoc tempore incipit Conceptio secundum plurimum & dicitur vtrobiq; secũdum plurimum. Quia ante istud Tempus inueniuntur Puellæ Completæ iam factæ Viripotentes habentes Menstrua. Vnde quandoque reperitur talis Annorum Duodecim, quandoque Vndecim.

Et quidam, vt MARSILIVS Patauus vidit Puellam Papiæ Annorum NOVEM Imprægnatam. Sed hæc sunt Rarò.

Cognoui ego Puellas succiplenas, & Duodennes, ex testimonio Matronarum aserentium nihilominus Menstrua reddentes. Quinimo & Vnam circiter Octennem (loquor interim de Veneris Appetentia) quæ Puella virum deperibat atq; illo fruebatur: hic fuit Vnus ex famulis meis homo quotidianæ, & popularis conformationis Horatius nomine ex Agro Mutinensis oppido Spilamberti quamobrem scite Plato docuit in sua Repub. Mares, ac Fœminas à Septennio transacto separatim alendos.

FLV-

FLVVNT MENSTRVA Rubra, Calida, Multa, & Crassa mediocriter, quæ Breui Congelantur. Aceruatim hisce Fæminis Mensis interdum prodeunt, quapropter & à Fluxu Periodico breui Resiccantur. Nonnullis earum quoque Grauidis prodeunt vsque ad Alterum, sed & Mensem Tertium.

VENVS.

APPETVNT hæ Fœminę Marem tempestiue, atque ex Venereo Concubitu, Multo etiam non delassantur, nisi Candore plurimùm Vigeant, sed gratissime repetunt. Eędem non sine detrimento ferunt silentium Veneris, præsertim vbi concumbere sæpius assueuerint, nisi molem acquirant Carnis, & eiusdem compactæ, vel Pingnedo succrescat liberaliter. Pruriunt etiam vsque ad Annum Quinquagesimum, & Prouectiores, licet sæpius conceperint, dummodo rarenter ægrotarint, neque Causa vlla adfuerit, vnde Vteri, & Venarũ fathiscerent Vires.

SEMEN.

SEMEN facile fundunt Crassum, Calidum,

CONCEPTIO.

VTERVS Calidus, & Humidus est maxime omnium Genitalis, quòd pertinet ad ipsum,

&

& congruit fere huiusmodi Temperies Vteri cuicunque Marium Temperamento. Nisi Caliditas alterutrius præsertim Mascula valde prædominetur, Humiditasque sit admodum Pauca. Vlterius nisi priuatim adsit Dislociatio Corporum, quę trãscendit (veluti sentio interea temporis) Facultates Qualitatum Primarum, & sequitur Characteristicam Indiuidui Formam, Temperamentum hoc Vteri congruit Senibus Maribus, aut Imbecillis propter Frigidam illorum, atque Siccam Temperiem Generationi parum Opportunis: Fœminæ verò, quæ ex his Concipiunt, istæ Rarò pariunt Mares, quinimo sæpe Fœminas, aut Mares Fœminares, dum Vtero gerunt Mulieres hanc Temperiem obtinentes degunt plerunque Sanę, nisi quid præter Naturam contingat.

SVPERFOETANT etiam hæ Mulieres, ac Geminos pariunt Vitales, atq; eosdem Mares præsertim vbi Semen Masculum fuerit Largũ, & Validum. Nihilominus & Molæ sunt obnoxij huiusmodi Vteri, veluti Experientia sępius cognoui, atque in Mulieribus Adolescentibus, quæ nihilominus vno Partu Molas peperere plures, interdum verò Puerum & Molam.

GONORHAEAM facile incurrunt à Veneris longo interuallo, præcipue verò si Copulari assueuerint, magis autem eæ Fœminæ, quæ non sunt admodũ compactæ Carnis, at Fuscæ existũt, & Cibis Euchymis liberaliter aluntur. Cæterum & Hysthericis de præhenduntur Affectibus, neq; Leuibus, si Cerebrum, & ab ipso exorta non vigeant,

ex

ex Corrupti Seminis aura liberaliter halante, quæ Venenum refert aliquãdo,& eidem proximas Vires,nam optimi Corruptio est Pessima.

PARTVS.

PARTVS earundem Fœminarum non est laborioſus, præſertim ſi paulo ante Pariendi tempora, & Auerſa Venere Quadrupedum coierint More, Suffragio accedente laborioſi Victus, qui fere Grauidis etiam Omnibus prodeſt, Rarò autem obeſt.

PVERPERIA.

PVERPERIA non parcè fluunt,& eadem Sanguinem referunt, atq; cito congelantur.

VTERVS, eiuſdem OS.

VTERVS huiuſce Temperamenti exiſtit Grandis,Carnoſus,idem,& Craſſus qui poteſt multum dilatari.

OS eiuſdem deſcendit nonnunquàm, & præcipuè ſi Humiditas exuperauerit, Molle tamen cognoſcitur,neque Gracile. Glandem Phalli coeuntis plerunque deuorat exugens.

PVDENDVM.

PVDENDI Capacitas est Mediocris, Calida sentitur. Atque si vigeat Siccitas mediocriter Caro est compacta, quemadmodum Exuperante Humore sentitur nedum Mollis; at Laxa. Virgineus huiusmodi Cunnus vbi defloretur à Mare Coeunte Sanguinem liberaliter fundit, magis verò si rigeat valde penis, tardetque Mas in Semine eijciendo. Hæ Fœminæ Lastauris concumbentes maxime sanguinem fundunt. Humectatur in Coitu huiusmodi Temperies, neque parce. Exiceatur tarde, nisi Calor prępolleat ipsi Humiditati.

CONFORMATIO. &c.

CVNNI Exterior Facies aptè conformatur. Rupes tument Pleniusculæ, Molles. Nympha est Grandis mediocriter, quæ tumet frequenter arrecta sponte, sed & contrectata blandè Fęminam exhilarat, prolicitǫ; semen facili negotio. Rubent saturè omnia Intrinsecus. Quæ Vmbilico subsunt, ea visuntur Corporatiora, Sumen, Regio ad Cheneonas, & Ilion ossa, Pecten extra prominet non solum extrinsecorum mole, sed & Ossium Amplitudine. Lumbi sunt Vasti, & eorundem Caliditas suauis. Hypoglutidum, & Natium Conformatio apparet satis concinna. Harum omnium Partium Cutis, & Mollis, & Nitida, & læuitate cõtingit grata.

MAMMÆ.

MAMMAS habet Grandiores Fœmina hæc, Nitidas, & Succulentas, vbi sæpius lactarint, & lactant Mulieres obtinent Venas amplas in ijsdem Mammis, plures, latas.

PAPILLIAE rubescunt saturè, neque Minutulæ.

LAC.

LAC citò aduenit, & est Calens, Dulce, in quo Serosa, & Caseosa Pars moderatè se habent, propterea Substantiæ Mediocris, nisi Mulier fuerit Carnis Densæ, & Compactæ, atque Exuberantis. Veruntamen hisce Mulieribus, quæ Lac parcius fundunt, neque Carnem iam dicti Caracteris obtinent, Menstrua possibile est interdum fluere.

INFANTES huiusmodi Lac exugentes temporiùs Dentiunt, Lumbricisque non rarò infestantur, vbi ipsum intra mediocritatem coxerint, & liberalius assumpserint, Aluo Molli nõ existẽte. Sunt ijdem obnoxij VARIOLIS Benignioribus sed pluribus, & latioribus, nisi quid contingat præter Naturam, Earundem Cicatrices Leues, quæ facile tollantur Vestigia. Lac vbi ex Naturæ Lege cessauerit, præsertim si Caliditas exuperet Mammę stringuntur, & compactæ, Rotundæ priorem acquirunt ferè Conformationem, vt appareant Nitidæ, ac Renitantur.

OMNIA verò istiusmodi Inditia vigebunt amplius, quando Mulier obtinuerit Vocem Magnam, Pectus amplum, Collum Crassiusculum, & Pulsum pleniorem, neque Cerebrum Frigidum aduersetur. Præter cætera verò si IECVR Sanguinis Optimi sit Ferax, & Copiosi, quod ex Venarum Amplitudine, Colore, Calore, sed præsertim Vrinæ Rubore cognoueris, & Carnis Mole.

CAPVT VNDECIMVM.

NOTÆ.

VTERI CALIDI, & SICCI.

PVBES.

SI GENERATRICES PARTES FOEMINARVM Extiterint CALIDAE, & SICCAE, PVBES tunc Celerius cõparet, quàm in Superiori Temperamẽto iam proxime dicto. Sed & Motus eiusdem pariter festinantior existit, quà ad Conformationem Pili, quà ad ipsius Attonsi Reparationem. Pubes apparer Robusta, atq; Densa, cæterum Coloris Nigri, vbi Calor excesserit. Pilus est Crispus, qui Cito Gracilescit, Exit adhuc Fines sibi peculiares.

MENSTRVA.

MENSTRVA Temporius etiam plerunque Erumpunt, neq; absq; Cruciatu. Dùm profluunt Acrem obtinent Caliditatem, & (si calido Sicco vtantur Victu Mulieres) propemodum Vrentem. Eadem Tenuia existunt, Citrini Coloris, vnde Pudendum aliquando excoriatur, & Succrescente Bile Mulier Vteros mordetur, ac dolet, lancinaturque. Menses adhuc his nonnunquam Bis, ac Ter Lunæ vnius gyro citantur.

VENVS.

APPETENTIA VENERIS identidem Tempestiua huiuscemodi inest Fœminis, sed Acris, & furens, vt descendere aliquando soleat Vterus, præsertim si cessent Longius à Concubitu, quæ antea sæpius eidem indulgebant, atque Victus existat Lautus, nec cessent, quinimmo Sensim Pus obuij sint Fomites Venerei. Exuscitãt nãq; & intermortuã Venerem Lasciua Lectio, Oratio, Inspectio, Tactus & consimilia. Calidi tamen, ac Sicci Vteri non ferunt Venerem Multam, lassantur faciliter huiusmodi Fœminæ, ob Sanguinis nimirum Penuricam, Tenuitatem, sed & Spirituum.

SEMEN.

SEMEN effundunt cito hæ Mulieres, Acre, Calidum, Tenue, Paucum. Non adeo facili negotio

negotio fluore eiuſdem tentantur, quantum pertinet ad Copię Cauſsam, Sed vbi contingat Gonorhæa eadem Odioſa, atque Difficilis.

CONCEPTIO.

CONCIPIVNT hæ Mulieres non adeo faciliter, veluti eæ Temperamenti Superioris, alioqui opportunæ ſunt Generationi. Requirunt Semen Virile in Actiuis Temperatum, quandoque Subcalidum ſi in Paſſiuis extiterit paulo Humidius, Niſi Diſſociatio adſit Characteriſtica, quã Proprietatem Indiuidui nuncupamus. Generant Maſculam prolem quantũ pertinet ad ipſas huiuſmodi Fœminæ.

SVPERFOETANT Rarò, Geminoſque adhuc Rarius pariunt eędem, niſi SEMEN VIRILE omnibus Dotibus, ac Liberale vigeat, quia cæterę Partes Principes vtriuſque etiã Principij, atque Iecur maxime obtineat Calidam Humidam Temperiem. Præterea Aetas, Anni Tempus Cœli ſtatus, Victus Ratio, & quæ ſunt id generis, præterea & Conſociatio Characteriſtica Indiuidualis ſota Cupidinis Oeſtro admodum ſuffragentur.

PARTVS PVERPERIA.

PARTVS vbi Siccitas exuperet non eſt admodum Facilis.

PVER-

PVERPERIA Mebstruis corteſpondent. Atque huiuſmodi Mulieres obnoxiæ ſunt aliquando Hæmorrhagiæ Vterinæ, non Plethoria Sanguinis vrgente, Sed Cacochymia Bilioſæ Illuuiei Vrente, quæ Tenuis, Acris, Calens extimulat valdè. Quapropter laxantur, aperiuntur, Rareſcũt, Rodũtur pauco negotio Vaſa ipſa, horum ſi Cortices in Bilioſis Temperamentis exiſtunt Rari, Tenues, breuiter Strigoſi, qualia earundem Fœminarum eſſe videmus Corpora. Hinc & Abortiunt nonnunquam huiuſmodi Mulieres, atque præſertim ſi diuexentur Victus ratione inepta, & Animi Affectibus immoderatis ipſam Temperiẽ ſequentibus.

VTERVS & eiuſdem OS.

VTERVS non eſt Grandis, ipſeque Tenuis exiſtit. Os autem ipſius Durum, & Calidum, neque Corpulentum, quod hiat plerunque, ſed & Obtorquetur non difficulter ex ipſa Siccitate.

PVDENDVM.

PVDENDVM Calet, Anguſtum, ſed non eſt multæ Carnis, Breue, neque Humectum, (quod magna ex parte dictum ſit) Reſiccatur autem Breui, ſi Humectetur ex Concubitu. Stat ipſum Vlcuſculis, & Ardori obnoxium, breuiter Maribus gratum contingit, qui commiſcentes ſeſe his Mulieribus Glandis Cuticulam Phalli interdum

exco-

Excoriatã reportant Copulare quapropter ſeſe cũ huiuſmodi Fœminis vel Erumpentibus Menſtruis, vel nondum probe reſiccatis periculum imminet. Caue, ſi ſapias, Vterum Bilioſum fluentem, præſertim vbi Syrius vrget.

NYMPHA blandiori Tactu, ſi moueatur, illico Obdureſcit, ſed non grandis ſemenq; prolicitur, quæ ſponte ſæpius prurit.

PTERIGOMATA ſunt Exilia, Tenuia, nihilominus Calida.

PECTEN, CHENEONAS, CLVNES habent hæ Mulieres fere Exuccas: Oſſa Ilion Cutim quaſi perforant.

LVMBI niſi Caleant, ij non difficulter incaleſcunt, præterea Lanugine, ſeù Inchoatione quadam Pilorum veſtiũtur medij: Non ſunt Craſſi, non ſunt Lati, ſed fere ſtrigoſi, cuiuſmodi ſunt ipſa Crura.

CVTIS harum Partium Viſui, Tactui non eſt admodum grata, qua à ſubiectis Muſculis facile ſeparatur, ac Tenuis exiſtit.

MAMMÆ.

MAMMAE non ſunt admodum Amplæ, ſed Venis exarantur ſatis conſpicuis, neque Compactæ.

LACTIS Quantitas non eſt Copioſa, ipſum vero habet Modum Subſtantiæ tenuem, Declinat à candore plurimùm, vergitq; potius ad colorem citrinum, Acre interdum, ſed & Amarum

ſentitur,

ſentitur, neq; ſuauiter Olet. Aphtas gignit in Ore lactentium Infantium, qui & ſunt Alui fluentioris, & Morbillis ſæuis, ac malorum morum obnoxij.

PAPILLAE sũt Exiles, Calidæ, Lac citò reddentes, quia Meatus obtinent ampliuſculos, Vlcuſculis, & Rimis aliquando infeſtantur, præſertim ſub inepta Victus Ratione, atque Infans vbi fuerit Voracior.

PARTES PRINCIPES.

PVLSVS harum Fœminarum exiſtit Velox. Iraſcuntur ex leuiuſculis Occaſionibus, lecur præſertim obtinuere Siccum, Exæſtuans, Vigilias quoq; Somno ampliores. Earundem Ventriculus interdum Amareſcit, ſed & Bilioſa euomit, & (quod magna ex parte dictum ſit) breui ſitiunt Mulieres iſtæ, Linguam, Labia, & Fauces cum obtineant ſuapte natura ſiccas, & Vrina ipſarum eſt Citrina.

CAPVT DVODECIMVM.

NOTÆ VTERI FRIGIDI, & HVMIDI PVBES.

GENITALIA Mulierum vbi fuerint FRIGIDA, & HVMIDA, præsertim si Frigiditas dominetur, aduenit omninò Tardissimè. Rara eadem existit, Pilus Tenuis, Breuis, Mollis, & si cædatur Incrementum Ortui æquipollet.

MENSTRVA.

MENSTRVA Erumpunt his Mulieribus admodum tardè, nec absq; Lumborum Dolore, Grauitate, præterea & Pectinis, quibus tunc temporis est Ventriculus interdum Supinus, Nauseabundus, Raro appetēs: Cuiusmodi symptomatibus viuūt pariter obnoxiæ, si Menstrua, quę fluere oportebat, subsistant; Hæc promptè fiunt Cacochyma, sanguis Albicat, interdum Serosus, Tenuis, nonnunquam & Crassior, & ab Vtero Mucci plerunque prodeunt.

VENVS:

APPETVNT hę Fœminæ tardius Marẽ ipſum, atq; Rarò. Quin vt per ætatem vigeant, & nonnunquam Venere vtantur etiam Victus Lauti, Euchymi Cauſſa ſuffragante, deferueſcit nihilominus hic impetus breui, præſertim ſi Grauidatæ ſæpius fuerint, & adhuc magis ſi Abortierint. Vterus enim amplius refrigeratur harum Fœminarum. Frenum quapropter Veneris Muliebris earum cohibens impetum furentem exiſtit Cõcubitus immoderatus, Grauiditas, ſed & Abortus. Delectatio Concumbentium ipſarum neque Longa, ſed & Ignaua, Torpentque fere in Coitu, tarde nanque mouetur in ijs Veneris Oeſtrũ, quapropter Motus earundẽ in Concubitu languidus, & hanc ob rem Viris parũ grata contingunt. Delaſſantur ex Coitu multo, qui plerunque iuuat, & reddit eaſdem Vegetiores, Coloratiores, & Animo etiam perſpicaciores.

SEMEN.

SEMEN haud facile fundunt, & hoc plerunque Seroſum, niſi ætate vigeãt, & Victus Ratio ſit Euchyma, Liberalis quoque.

CONCEPTIO.

CONCIPIVNT difficulter Mulieres huiuſmodi Temperiem obtinentes Partiũ Genitalium, præſertim ſi fuerint ætate prouectiores. Nouella tamen Aetas (licet in ea nõ ſit Calor adhuc Perfectus, & Media opportuna magis eſt Grauidationi. GENERANT ex Maribus, quorũ Semen exiſtat Calidum, Siccum. Hæ ſunt Mulieres, quæ ſi prouectiores impleantur Semine Decreſcẽtis Maris (quod magna ex parte dictum ſit) generare aſſolent vel Mares Ignauos, & Capitones, Frontones, Cæſios, Balbos, Glabros, & raro etiam Eupogones, maxime autem ſi vtriuſq; Principij Specifici Maris, & Fœminæ diuturnior ante Concubitum Genitalẽ Victus fuerit Frigida, Humida, quam & Craſſi ſucci Mulier ſi prægnans teneat, Natus Morbo Comitiali fuerit etiam obnoxius, quod magna ex parte voluimus acceptum. Hæ Fœminæ dum Vtero gerunt (vſus plerunque atteſtatur) Varijs, neque mediocribus Affectibus præter naturam vexantur, earum Crura plerunq; tument, in Somnum promptæ, quæ eſt ſoboles Frigidorum Humidorum Humorum.

VTERVS.

VTERVS eſt Grandis, vbi Humiditas præpolleat, ſed ipſius Concretio laxa, Mollis. Hic nonnunquam Leuis exiſtit, aut Lubricus ex

Humi-

Humiditate, propterea Semen Virile ſuſceptum aliquando euomit. Flatibus eſt obnoxius, & Cotyledones obtinet Muccoſos. Præcipitat Vterus quandoq; ex laborioſo Partu, Ligamenta namq; ſunt eius Laxa, & in his plerunq; Mentium cænoſa Fex iniquè ſtagnat, præſertim ſi ſtillent Pauci ob Craſſitiem, Viſciditatem Phlegmaticæ Illuuiei vnde os eiuſdem contorquetur, Vaſa nanque Tenuia exportare neque unt immũdum Sanguinem quaſi impicata.

OS VTERI.

CERVICEM, aut Os Vteri Molle, Humidum habent huiuſcemodi Fœminę, nec Tenue, quę Fluidis inter cætera morbis corripiuntur, niſi Materia in Corpus recurrat.

PVDENDVM.

PVDENDVM eſt Laxum, Grande, Humectum, & à Coitu reſiccatur tardè, ac omnino iſtiuſmodi Fœminæ ſunt Maribus ingratæ.

CONFORMATIO.

NYMPHA eſt adhuc Vtero ignauior, niſi Aetas, Conſuetudo, Affectus quaſi ſtimuli pungant, Difficulter Titillationem ſentit, vt arrigatur, arrecta breui flacceſcit, neq; Semen elicit quod magna ex parte dictum ſit.

PTE-

PTERIGOMATA sunt Ampla, & Mollia, compressa digitis, & cedunt facili negotio, & dilatantur, non Rubent.

LVMBI videntur grāditate speciosi, Clunes pariter, ac Ilion ossa, sed Conformationem haud habent expressam, neque & compacta caro Musculorum subiectorum. Cutis est Leuis, Plumbeumq; refert colorem.

IMVS Venter harum Fœminarum plerunq; dolet, ac Onus velut insitum eædem habere videntur. Est his Corpus Mole, ac Tumidius quodammodo, propemodum vt Aqua affectis inter cutem, quàm Leucophlegmatiam appellant.

MAMMÆ, LAC.

MAMMAE harum Mulierum sunt Grandes, Frigidæ, Molles, neque Venas habent conspicuas, neq; Nitent, sed plumbeum referunt colorem. Papillæ earundem sunt Crassiores, nec Rubent.

LAC est fluidum, Subcalidum, Ichorosum nonnunquam Sapore Aqueum, Odore ingratum, & hoc cessante vix redeunt ad priorem conformationem, vt pendulæ potius iaceant, atq; si lactarint hæ Fœminæ sæpius, restāt Equina quales Vbera, in quibus Lac facile grumescit, Pueri hoc lacte alti emittunt serius Dentes, somnolentiores apparent.

PAR-

PARTES PRINCIPES.

VOCEM Clangosam, Tenuem, Inęqualem plerunq; obtinent hæ Mulieres, tentantur Coriza, quod magna ex parte dictum sit. Dormitant, Somno etiam profundo prehenduntur ad Motum promptæ parum, Sputatrices, Pauidæ, raro appetunt, Vrina Alba, Spumosa, Arteria earundem est Mollis, & Pulsus minus Grandis.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

NOTÆ:

VTERI FRIGIDI, & SICCI.

PVBES.

QVANDO sũt Muliebres VTERI FRIGIDI, & SICCI, tunc Pili PVBIS Tardè consummantur, nihilominus Crassiores, & Duriores quam in superiori Temperatura, citiusq; comparent, & Cæsi recrescunt.

MENSTRVA:

MENSTRVA difficillimè præter cætera erumpunt, inferentia non leues cruciatus.

Tar-

Tardantq; huiuſmodi Flores, ac vbi Virgines viuant, non exeũt niſi ætate grandibus, & ſuã Quantitatis metam cum receperint. Raro autem vſque in Quadrageſimum Annum producũtur, niſi accedat Mutatio Temperiei, vel Hepatis, vel Vteri, ac maxime vbi Frigiditas perpolleat. Fluunt (niſi Deſtillent potius) parcè, nihilominus protrahuntur. Colore ſunt Menſtrua Fuſcedini propiora, & Craſſa, neque admodum Calent. Si in Virginibus ſubſiſtant, & alijs quoque Mulieribus Virum expertis, vbi Iecur Calidum ſit, vel exæſtuet, Cancer timendus venit aut Genitalium, aut cæterarũ Partiũ, quæ Vtero conſentiunt, cuiuſmodi ſunt Mammæ, Conſeruatur enim Succus Melancolicus, qui demum aduritur, atque decumbere ſolet in Loca, vel Cognationis, vel Obnoxia. Raro enim quiſquam non aliquam Corporis partem habet imbecillam, præſertim ex Mulierum Genere.

VENVS, & SEMEN.

APPETVNT hæ Mulieres Marem Tardiſsimè, niſi ſtimulet Flatus, quo plerunq; abundare ſolent. Non delectãtur in Coitu nimis, at neque Diù: Laſſantur quoq; Breui propter Spirituum Paucitatem, qui Terreſtres potiuſquàm Aethærei ſunt. SEMEN in Concubitu emittuut tardè id generis Mulieres, ſed & Modicum, niſi Puſillum, Tenue.

CON-

CONCEPTIO.

NATVRA huiusce VTERI, quantum ad se pertinet, censetur, & est ferè Sterilis, aut plerunq;, maximè verò si Frigiditas prædominetur, aut Siccitas valdè Vt CONCIPIANT requirunt Semen CALIDVM, & HVMIDVM, atq; Vegetum istiusmodi Fœminæ, alioqui magna ex parte Steriles: Nam quod temporis progressu senescentibus accidit, hoc eæ statim ab Ortu nactæ sunt. Nimirum Senectus est Frigida, & Sicca. Iure itáq; mulieres huiusce modi vix, aut Rarò Concipiunt, nisi copulentur Maribus Temperiei Oppositæ, præsertim quę fuerint prouectiores ætate Fœminæ, tunc enim cessat & alterũ subsidium, Calor nãq; Innatus deficere cœpit, quinimò vtrunq; Generationis nostrę Principium desinit scilicet Calor, & Humor. Grauidantur hæ Fœminæ præsertim non ita diù ante futuram Menstruorum Eruptionem, sed & fluẽtibus, licet rariùs (quantum ego nouisse potui diligenter circa istiusmodi satagens pro virili negotium) Etenim refrigeratur amplius hisce Vterus Fœminis propter eiusdem & Laborem, & Hiatum.

CAVEANT huiusmodi Mulieres à Maris amplexu frequẽtiori, nam Venus reddit omnes homines Sicciores, quapropter amplius & reficcantur, quæ Siccæ sunt Natura, & maxime si Frigidæ sint; Atq; si Iuniores fuerint Aphæstę, siue dicas in Venerem putres, iam ætate grandi sunt ineptiores Generationi, quod pertinet ad ipsas: Mulie-

res enim Frigidum, Siccum Vterum obtinẽtes admodum temporius ſterileſcunt ob Venéris ipſam nimietatem amplius Refrigeratæ.

PARIVNT hæ Mulieres vt plurimum Fœmineam Prolem. Nam & quæ difficili negotio grauidantur, ſi vel cura adhibita, vel caſu aliquo conceperint, Fœminã magna ex parte concipiunt, potiuſquàm Marem, veluti Experientia teſtimonium perhibet, Hoc autem & de Maribus intelligitote, qui ſi vix generare valeant (quantum ad eorum ſpectat Naturam) rarò Fœtum generant Maſculinum, frequentius Fœmininum. Quod ſi geſtẽt fœtę Marem Fœminę, & pariant; Sunt hi Exucci, Strigoſi, ac Proceri, qui & breui ſeneſcant. Conſultumq; prudenter, ſapienter fuerit Partus Concretioni, Longęuitati, Sanitati, vbi procurentur alendi ijdem Nati Nutricis Lacte Calido, Humido, vt eorundem Principia principio quaſi reformẽtur, ſed etiam Corroborentur Parteſq; omnes reſtituãtur.

ABORTIVNT potiuſquàm Superfœtẽt, niſi quid rarum contingat, Quippe nihil eſt ferè Perpetuum in ipſa Natura, vnde & Geminos parere valeant hæ Fęminæ, ſed Rarenter admodũ.

VTERVS huiuſmodi & Hydropem, & Molam (quod iuxta Caractẽrem Temperamenti Proprij dictum ſit) nonnunquam patitur.

PARTVS:

PARTVS Difficilis ijſdem contingit Fœminis cum propter Conformationem, tum propter

pter ipsam Temperiem (Habent enim id generis Mulieres Lumbos, & Cheneonas Magnitudinis parum amplæ Musculorum quippe subiacentium Natura est Exigua Strigosa, ac Roboris paucitatē, ob Exiguam Spirituum Copiam: Quibus Malis vbi cōiungatur Angustia Thoracis, difficilior adhuc Partus contingit.

PVERPERIA.

PVERPERIA sunt non adeò Multa, nisi aliquid Cacochymię huc à corpore abscedat reliquo, Eadem Nigra, & plerunque Graueolentia existunt, vel Ichorem referunt Melancholicum ipsa Substantia.

VTERVS.

VTERVS est Paruus, ac Tenuis, cæterùm Densus, qui ægrè distendatur: Venas habet Angustas, Duras. Vbi adsit inæquale Tēperamentum, & Iecur Calidum; at magè si & Cor huiusmodi Mulierum Vterus fit quandoq; Atrabiliarius, pręsertim si Viro non commisceatur Fœmina, & iuxta Naturę leges; aut Virgo, Viduauè fuerit Antiqua, & hæc Veneri assueta.

OS VTERI.

OS VTERINVM non est Molle, at Cōpactum, Tenue attamen, & Angustū, Conuellitur non difficulter, & contorquetur.

PVDENDVM.

PVDENDVM Natura est Paruum, & cui consueuerit diù Viro præsertim Coæquale, vt hoc ferè cõtingat in omnibus Mulieribus vnius Viri, sentitur aliquando Frigidum.

CONFORMATIO, &c.

NYMPHA sponte arrigitur admodum raro, quin & blande etiam attrectata vix, ac tardè intumescit, breuiq; elangueſcit, quæ Tenuis, Breuis existit, Nisi Aetas, Animi Affectus, Cõsuetudo, Victus, Anni Tempus, cęteraq; id generis faueant ipsi Veneri, tunc enim prolicitur etiam Semen ex eiusdem attrectatione, & Paucum, nisi Seroſum.

PTerigomata Strigosa, Pallida, Tactui Frigida existunt quantum ad eorũ pertinet Naturã.

QVæ sunt infrà Vmbilicum Exilia: Suminis Regio nõ tumet, sed Ossa Pubis Duritie ingrata sentiuntur, quapropter Mares, qui in ipsa Venere Delitias quærunt, hisce Mulieribus quando cõcumbunt Generationis causſa, iungunt Auersè potiusquam Aduersè Cuiusmodi Copulam (vt interdum possit esse Genitalis) nemo verè Physicus nõ damnauerit, veluti lubricam & Naturæ dictatis ex Diametro (quod aiũt) oppositam, quicquid senserit. T. Lucretius Carus Poëtiphysicus eandem laudans, at nullis rationibus asseueras. Cui tamen Viro eiusdem Posteri non erubuerunt

supinè

ſupinè admodum ſubſcribere, nomine Phyſici, re autem nihil minus, qui Præceptoris Doctiſſimi Iunioris De Animalibus Hiſtoriam aut non legere, aut non intellexere, aut intellectam obliti fuere. At nos Commentario ſeparato hanc Opinionem iugulauimus, nobis iam diù ſubrepto, diximus tamen aliqua ad ipſam Exibilandam opportunè etiam in Refutatione Obiectionum, aduerſus Phyſiologiam noſtram iam publicatam De Fine Phyſico, & Medico Barbæ Humanæ.

CONFORMATIO Lumborum, Clunium, Cheneonum fere iam eſt indicata, ſi quæ proximè diximus conſulas, Cutis harum Partium calet parum, niſi ſentiatur interdum Frigida, ingrata etiam ob ipſam Aſperitatem.

MAMMÆ, LAC.

MAMMAE Paruæ ſunt, & ſi tetigeris, Frigidæ, vix incaleſcunt, non renituntur ſolidæ. Color earundem eſt Plumbeus. LAC Tarde fundunt & parcè, quod Frigidum, Album, Seroſum plerunque exiſtit, Aceſcitq; breui.

PARTES PRINCIPES.

MVLIERES huiuſmodi Puſillanimes, in omnibus Actionibus Tardæ ſunt, ac ſi Calidiuſculum fuerit Cor, pertinaciter odere, Tetra cogitant, Animus ineſt immanis, altè memorãtur. Pulſus Tardus, neque Latus, qui & facile cedat

com-

comprimentibus Digitis, Arteria Dura, Pectus nō adeò Latum, sed etiam Humile existit. Exigua Indicia tibi ex Voce dabuntur præter ipsam Tenuitatem; Contuitus illis est Fixus. Cerui autem vbi Longa sit, & Labrum Crassum, Isthmus, vel Intercilium dicas, Angustius, aut continuentur ipsa Supercilia, & eadem Virilia sint, Iecur siccum, Vrina Pallida, interdum Nigra, & Crassa.

ATQVE ità Muliebris Vteri, vel Partium Genitalium ipsius Fœminæ Cognitionem Indicialem iuxtà Aphoristicum Caractêrem, licet fortasse minus plenè, at certè prò nostra virili, quātum fieri poterat, dixisse voluimus, libenterq; Doctiorum acerrimo Iuditio subijcimus, qui Scitè, Prudenter, Aequanimiter censeant Officioso nostro Labori, vel Indicaturæ Priori, si quæ potuerint desiderare, voluerint condonare, beneficium eorundem fuerit, quo veluti solatio miseriarum nostrarum liberaliter vtentes, conabimur in posterum benignitati illorum, quoad licuerit, correspondere summatim abundè laudabimur nisi condemnabimur.

Admonemus interea Iuniores hanc Veritatem Inditia huiusmodi fore quasi OCVLOS, & MAnus Medici, at non cuiusuis; sed eius, qui Naturâ Prudens fuerit, ac Philosophus Bonus; adhuc Peritus Proprietatum Naturæ vtriusque, cùm Temperiei, tùm Conformationis, Nam sicuti est Proprietas in Temperamento ex consensu omnium; sic est Proprietas (veluti ego sentio) in Conformatione argumēto sit Facies, & Vox, vnaquæq; enim

ipsa:

ipsarum peculiaris est vnicuique Individuo. Postremùm oportet etiam Medicum in Rationali Methodo esse diutius exercitatum, cui Vsui si accedat Solertia, tunc Medicus appositè vigebit in Conijciendo, quod cognoscere satagit. Desit alterutra istarum Circunstantiarum Claudicauerit Coniectura Medici, vt si deficiant penitus, ego Fabulam Surdo prorsus narrauero quapropter Indicia Coniectoria soleo Pharmacis comparare, de quibus Pharmacis legite, audite Herophilum ex Galeni Testimonio, & Libro Sexto De Composit. Medicamentorum secundum Locos, Cap. Tertio.

Herophilus Medicus Vetustus.

Siue enim dixeris, Pharmaca nihil esse Sola per seipsa, rectè dicas, Nihil enim sunt, nisi Rectè ijs vtentem fuerint adepta.

Siuè rursum Pharmaca veluti Deorum Manus esse dixeris, etiam hoc rectè dices, iuuant enim maximè, si is, qui eis vtitur in Rationali Methodo fuerit Exercitatus, & cum hoc Natura Prudens.

MARCI ANTONII VLMI PATAVINI

DE INDITIIS TEMPERAMENTORVM VTERI MVLIEBRIS SECTIO LIBRI ALTERA.

In qua narrantur ipsa Testimonia Græcorum, Arabum, & Latinorum.

PROOEMIVM.

NAE mortales nos fluctuantes ratiocinamur, longè quia nostra à Patria peregrinamur: hinc plerunq; dùm veritatem sequimur, vanitatem complectimur, attamẽ (res ipsa iudicat) nemo iam non profitetur Doctrinam, Scientiam, atq; Sapiẽtiam: vsque adeò specie recti, miserè, sed & puerilitèr decipimur, & difficulter vltrà semetipsum sapit Genus humanum. Ventura cognoscere omninò satagimus, Prę sentia verò, consilijs etiam omnibus adhibitis, turpiter ignoramus. Argumento sint ipsa Temperamenta singularium hominum, quibus & vtimur, à primis qualitatibus sensibilibus manantia, quæ tamen aut non cognoscuntur, aut difficulter, lubricâq; cõiecturâ percipiuntur: Con-

iectura nanq; mentis humanæ aliquando ad verũ peruenit, aliquando fallitur. Adſunt, Adſunt ipſa temperamenta, ſed quaſi abſunt; procul enim à noſtra cognitione poſita in abſcondito iacent; latent. Is difficultatẽ intelligit, qui eorum notitiam haud negligit. Offitioſo labore nos hucuſque & priores fortaſſe Mortaliũ, viam indigitare conati ſumus, quam tenentes homines Phyſici, ij valeant facis huius prælucẽtis beneficio prouehere ſeſe, atquè ſuo, quod aiunt Marte, ad indaganda breuiter corporis totius ac reliquarum partium temperamenta. Sed nõ tam bene agitur cùm rebus humanis, vt veritas ſimul oſtendatur, & accipiatur; adeò cuncta Mortalium opera tempori cohærent, quod eadem eruta, vel dirigit; vel diruit, quando ſint rerum ſingularum vices, ſemper tempus autoritatem parit. Quicquid autem futurum ſit, nunquam pœnituerit nos demerendo generi humano incubuiſſe, inſudaſſe, inuigilaſſe. Talentum nobis Dei benignitate conceſſum ignaui non defodimus. Late reſonans adhuc exaudire videmur Poeticum illud

Conſpicit ecce alios dextra, læuaq; per Herbam
Veſcentes, lætumq; Choro Pæana canentes,
Inter odoratum Lauri Nemus, vnde ſupernè
Plurimus Eridani per Syluam voluitur Amnis.
Hic manus ob Patriam pugnando vulnera paſſi,
Quiq; Sacerdotes caſti, dum vita manebat,
Quiq; Pij vates, & Phœbo digna locuti,
Inuentas aut qui vitam excoluere per Artes,
Quiq; ſui memores alios fecere merendo.
Omnibus his Niuea cinguntur Tempora vitta.

Brutè ſapiunt ij, niſi potius deſipiunt, quiſocietatem humanam, preſenti, ſed & vtili ſibi cura, cęterò quin Timones reſpiciunt. Ius noſtri cætus, ad quem omnes pereq; homines naſcũtur, non adeò ſeruile, aut exile cẽſendum eſt, ſed liberale ampliſſimis temporum pomœrijs fundit ſeſe latius, atq; decurrit. Pecudes præſentia diligunt, cætera negligunt. Haud ſecùs pecora homines tantum non Mammonæ geniti huiuſmodi ſibi fingunt ſomnia vigilantes, ipſi tamen ſomniorum vmbræ futuri.

Proh ſuperi, quæ dira Orbem deludit Erynnis?
Felices, quos non trahit ambitus. Ardua nactus
Non in ſe deſcendit Honos, non Cæca Poteſtas
Quid poſſit, Fortuna videt: non perfida ſentit
Proſperitas fleuiſſe humilem, qui ridet in altis
Parcite; venales quiſquis venatur Honores
Vnde ruat, Tabulata ſtruit. Premit vltio noxas
Tunc grauior, cum tarda venit: tunc plena timoris,
Quum terrore carèt: Blanda nil ſæuius ira
Quum floret miſeri felix iniuria voti.
Poſt Zephyros plus lædit Hyems, poſt gaudia luctus,
Vnde nihil melius, quàm nil habuiſſe ſecundum.

Qui ſecùs ſentiunt ipſi viderint, ſuſcepto iam præſtat nos indulgere labori, & quod relinquitur penſi, brẽuitèr expedire.

Decreuimus in ipſo huiuſce operis veſtibulo ſubiungere Doctrinæ noſtrę quaſi Teſtimonia, quęcũq; Græci, Arabes, Latini ſcripſerint circa Notas vnde conijciuntur temperamenta vteri fœminarum,

rum, quapropter constabit quousque nos promouerimus. Itaquè Sectio hæc operis illorum dicta continebit, Certum id habeo, satagentibus hominibus (quicunq; sint Physici, vel Medici) cognoscere temperamenta partium muliebrium facultati generatrici addictarum non minimã esse ademptam molestiam. Præterea & maximam fuisse additam vtilitatem vnâ etiam ex hac tantùm particula operis mihi elaboratâ: cum & compendio temporis facto, & laborum simùl, illos alios, atq; alios libros euoluendi absq; vlla molestiâ valeant nunc habere hoc ex monumẽto. Quicquid illi Autores prisci fideliter scripserint, interpositâ solùm fide ipsorum interpretantium, quos appellent lecturi, audituri.

CAPVT PRIMVM.

Indicia Temperiei Vteri Muliebris, quę ſunt ex Pauli Æginetæ Teſtimonio.

PAulus Aegineta Medicinam exercuit, veterumq; doctiſſimorum Medicorum plurium legit monumenta, & præſertim Oribaſij, qui & ipſe (referente Paulo noſtro) totum librum, in quo omnem tuendæ ſanitatis rationem tradidit, inſtar Florum aliunde decerpſit, nam poſt Galenum, & adhuc iuniores fuit. Deſcendit Aegineta ad Medicinam ſcribendam, non vt ipſe ait, quod à veteribus quid circà Artis tractationē prętermiſſum ſit, at potius Doctrinæ compendiariæ, mox & exercitationis propriæ cauſsà. Intellexit vir doctus, Exercitationem quacunq; in re maximè poſſe; illam breuitèr eſſe quaſi ſpiritum omniū agendorum: hæc alit, confirmat memoriam, vt propterea mentis noſtræ agitationem ſingulariter promoueat. Itaq; Paulum Aeginetam antiquę Medicinæ Notarium ſoleo nuncupare: ipſum legite, audite.

Paulus Ægineta in Præfatione ſuæ Medicinæ.

Omnem medendi Methodum, aut omnem particularem Materiam memoriâ tenere difficillimum eſt, aut etiā omninò impoſſibile: quarè hoc compendium ex veteribus collectum confeci.

Ve-

Veruntamen quatenùs, & quomodo attigerit vir hic Physiologiam vteri muliebris temperamentorum indicialem, ipsum consulamus, qui tamen legit veteres Medicos.

Paulus Ægineta Libro Tertio suæ Medicinę Cap. 74. Rub. Non Concipientium Curatio:

VTERI FRIGIDIORIS NOTAE.

1. FRIGIDIORES Vteros indicat mensiũ suppressio.
2. Et victus frigidior, ac crassi succi.
3. Et torpor oboriens circà pectinem, lumbos, ac crura.
4. Si verò perfectè perfrigeratæ fuerint, nequè venerem appetunt.

VTERI CALIDIORIS NOTAE.

1. At verò CALIDIORES Vteros coniectare oportet.
2. Ex toto corpore calidiore.
3. Et menstruis paucis.
4. Et cùm dolore.
5. Et quòd exulcerant Pudenda mulieris.

VTERI

VTERI HVMIDIORIS NOTAE.

Si verò ob HVMIDITATEM Vteri non concipiant, signum est.

1. Quòd & humectantur circà coitus.
2. Et menses deferuntur tenuiores.
3. Ac multi.

Quantum pertinet ad SICCITATEM nullum attigit indicium; legimus autem verba ist-hæc paulò inferius.

Quòd si SICCIOR sit vterus, per contraria curetur, Balnea dico, & vnctiones, & cibos Humectantes, ac oleraceos, vinumq; moderatum, & non valdè vetus.

M. Antonius Vlmus:

Iuxtà vulgare scribendi genus mihi nunquam receptum, recipiendum; sentiant alij quicquid velint, quando ingenuum est Philosophari. Dicerent popularia ingenia (ludamus & nos) in dicta periodo stare Fundamentaliter (hoc est verbum sesquipedale à Poeta laudatum) Doctrinam Aegineticam vteri siccioris, vt hæc sit Elicitiua doctrina per argumentum à contrario.

VTERI SICCIORIS NOTAE.

SICCIOR fuerit vterus ille
Qui non humectatur circà coitum.

Et

Et quando feruntur Menſes craſſiores,
Ac pauci.

Has machinas inuenêre, & hoc Philoſophandi genus inuexere, homines etiam, qui ſe Peripateticos appellant, cum tamen exemplum nullum habeant ex eodem; qui neminem fuerit interpretatus. Dixerint, heus tu, nobiliſſima ingenia hoc non abhorruere ſcribendi genus: equidem. Rapiuntur quippe trãſuerſa interdum à violentia conſuetudinis: at qui natare norunt, ij abſq; cortice natant, ſed alterius eſt negotij hoc tractare argumentum, quod tamen conuelletur nunquàm radicitus, ea agit mortales nonnullos intemperies.

CAPVT SECVNDVM.

Indicia Temperiei Vteri Muliebris, quę ſunt ex teſtimonio Aëtij Amideni.

Aëtius Sermone decimoſexto. Cap. xxiix.

CALIDIORIS VTERI SIGNA.

1. Vterorum CALIDITAS ex reliqui corporis caliditate coniectatur.
2. Et ex menſium paucitate.
3. Cùm dolore prodeuntium.
4. Sed & quæ prodeunt Nigriora ſunt.
5. Et ob nimiam puncturam nullum ordinem ſeruant.

6. Se-

6. Sequitur autem ad hanc temperaturam insignis Salacitas.
7. Et totius corporis siccitas.

Vteri FRIGIDIORIS Indicia:

Desumpta ex Sermone xvj. & Cap. xxvij.

Cæterùm Vterorum FRIGIDITATEM ex mensibus suppressis coniectamus, neq; enim præ nimia crassitudine commodè deferuntur.

ij. Sed & stupidus sensus circà pectinem, lumbos, ac crura percipitur: Aliquæ etiam penitus crurum impotentes sunt.

iij Quòd si prorsùs perfrigeratæ fuerint, ne venerem quidem appetunt.

iv. Et vteri osculum contractum habent.

Ex Sermonis eiusdem. Capite L iv.

FRIGIDIORIS Temperaturæ Fœminas, tum ex his, quæ dicta sunt, cognoscemus, tũ quod somnolentiores, & ad motum pigriores sunt: Et coloris albi, siuè plumbei, venis subnigricantibus, vrina aquosa: Pituitam assiduè excreant, & aliquando pituitosos humores euomunt.

M. Antonius Vlmus Patauinus.

Conueniunt ambo hi Græci in recenſendis notis Temperierum Vteri Muliebris. Galenus certè, quod ego legerim, aut meminerim, verbum nec vllum habuit de Indicijs cognoſcendi Temperiem Vteri Fœminarum. Apparet manifeſtè ſi quis legat, vel audiat Librum Artis Medicę Galeni ipſius. Adhùc in ſuis tot, atq; tantis voluminibus loquutus eſt nunquàm, niſi me fallit memoria, de huiuſmodi Notis Vterinis. Omnino ſicuti nationibus ſingulis ineſt ſua virtus, & vitium, Peculiari etiam ſolo certæ ſunt vires.

Denſa magis Cereri, rariſſima quæque Lyæo
Altera Frumentis, quoniam fauet altera Baccho.

A pari certis quoq; Aetatibus addicta ſunt propria Bona, & Officia, & Sīgularibus hominibus vidētur quędā quaſi ſuę innaſci Dotes, Officia hinc prudenter, & ſcitè dictum fuit ab Ariſtotele, quod ex Platone deſumpſit. *Alij ad alia naſcuntur*. Conſtat Sęcula proficere, ſed & in aliquibus etiam deficere. Omnium nanq; rerum eſt Viciſſitudo.

Hæc indicia iam narrata à Græcis, vbi vos acritèr expendere volueritis, ad meam iam inſtitutam Methodum reducere licebit hoc pacto, vt reſpiciant ſingula.

I. Vel Temperiem totius.
II. Vel Menſtrua, atq; iſtorum.
1 Quantitatem.
2. Qualitatem.

3. Substantiæ Modum.
III. Aùt Venerem.
IV. Aùt Concubitum.
V. Vel oſculum Vteri.
VI. Siuè Partes Externas Pectinem, Lumbos, Cru ra, ſcilicet harum partium ſenſum.

Sed & victum anteactum reſpiciunt, quod genus inditij negleximus nos conſultò, veluti nimis longinquum. Victus nanq; ratio vſurpata indicat potius humorum Qualitatẽ, Quãtitatem Modum ſubſtantię eorundem, quàm Temperiem cuiuſuis corporis partium. Sanè à victu commouetur ipſum temperamentum, ſi fuerit ille huic aduerſarius, at hoc non contingit, niſi à longo temporis interuallo, iuxta illud Axioma vulgatum omne agens in agendo repatitur. Sed Arabes iam adeamus.

CAPVT TERTIVM.

Indicia Temperiei Vteri Muliebris, quæ deſumuntur ex Auicennæ Doctrina.

ALterum Teſtimonium ex Arabum doctrina deſumitur, inter quos recenſetur Princeps Auicennas; is autem plenius quàm Græci hoc Argumentum tractaſſe videtur, quemadmodum conſtabit legentibus, audientibus.

Auicennas lib. Tertio ſuæ Medicinæ, Fen. vigeſimaprima. Tract. primo, Cap. 4. De ſignificationibus complexionum Matricis.

De ſignificatione Caliditatis.

CALIDITATEM Matricis ſignificat.

j. Communitas corporis.

ii. Et paucitas menſtruorum.

iij. Et ſignificant ipſa color menſtruorum: Et proprie cum ſumitur Pannus lineus, & ſupponitur in nocte, deindè exiccatur in vmbra, & conſideratur, An ſit Rubeus, an Citrinus? & ſignificat caliditatem, & choleram, aut ſanguinèm. Aut ſit Niger, & Albus? Et ſignificat contrarium illius. Verùm niger cum fœtore putrido ſignificat caliditatem quandam. Et qui eſt ſine ipſo, ſignificat frigiditatem.

iv. Et quandoq; ſignificatur caliditas ex doloribus in partibus Hepatis, & exituris, & vlceribus accidentibus in matrice.

v. Et exiccatio labiorum mulieris.

vi. Et multitudo pilorum.

vij. Et tinctura aquæ ſecundum plurimum.

viij. Et velocitas pulſus.

De significatione FRIGIDITATIS Vteri. Caput Quintum.

FRIGIDI Vteri ea cẽsentur Indicia, quę mox dicentur, scilicèt.

i. Retentio menstruorum.
ij. Aùt paucitas eorum.
iij. Aùt subtilitas eorum.
iv. Aùt nigredo vehemens eorum.
v. Et prolongatio apparitionis eorum.
vi. Et anteceſſio ciborum groſſorum, & frigidorũ.
vij. Et anteceſſio coitus plurimi.
viij. Et ſtupor in ſuperioribus matricis.
ix. Et paucitas pilorum in pectine.
x. Et paruitas tincturæ aquæ.
xi. Et corruptio coloris eius.

De ſignis Vteri HVMIDI. Cap. Sextum.

Vterum eſſe HVMIDVM ſignificant.

i. Tenuitas menſtrui.
ij. Et multitudo curſus humiditatis.
iij. Et abortus fœtus, cum magnificatur.

De ſignis SICCITATIS. Cap. Septimo:

Vterum eſſe SICCVM indicant.

i. Exiccatio.
ii. Et paucitas curſus.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

Indicia Temperiei Vteri Muliebris, quę desumuntur ex Nicoli Florentini Testimonio.

SVccedit postrema Latinorum schola, quæ subscribens maiorum dogmati Indiciali Temperamẽtorum Vteri Muliebris, illud idem asseuerare plenius videtur. Duorum autem referam duntaxat Latinorum testimonia, qui amplius hoc negotium tractasse apparent, ij vero sunt Nicolus Florentinus, Alter sanè Antonius Guainerius Medicus Papiensis: exordiemur nos à priore Nicolo scilicet, qui cum fuerit in Medicina scribenda imitatus omninò charactêrem Rhazij Arabis viri doctissimi, propterea à me Rhazius Latinus vos ipsum audite, leg te.

Nicolus Florentinus Sermone sexto suæ Medicinæ. Tract. Tertio.

De signis Complexionum Matricis Naturalium. Cap. primo.

Indicia Matricis CALIDÆ.

Signa complexionis Matricis calidæ sunt duodecim.

Primum

Primum eſt, dicit Auicennas, quòd Caliditatem Matricis ſignificat cõmunitas corporis, ſcilicèt in caliditate quia totum corpus ex ea redditur calidum.

Itaq; cum videris in toto corpore mulieris caliditatem: Argue matricem eius eſſe calidam: Intelligendo tamen ſic, quòd ſi membra principalia, & nobilia fuerint temperata, & matrix calida, reddetur tunc totum corpus calidius temperato. Et ſi principalia, & nobilia fuerint frigida, & matris calida, reddetur minus frigidum, quàm ſi matrix nõ foret calida.

Hanc autem caliditatem non operatur matrix ſuper toto per ſe, cum non influat ſuper ipſam calorem, ſanguinem, vel ſpiritum. Sed illam operatur per accidens, ſcilicet in quantum ad ipſam multæ veniunt arteriæ, & nerui, mediantibus quibus caliditas matricis reuerberatur ſuper principalia, & ſic ſuper toto: ſanguis etiam contentus in venis, & arterijs eius caliditate matricis calefit pluſquàm foret, & ſic calefaciendo partem poſt partem ſanguinis aliarum venarum, peruenit eius caliditas ad cor & hepar, & ſic ad totum corpus.

Et quòd matrix calida reddat corpus calidum, patet. Quoniam fœminæ caſtratæ redduntur ſecundum vniuerſum corpus frigidiores proportionabiliter frigiditati maſculorum caſtratorum: & eſt hoc ſignum ſumptum à qualitate mutata.

Marcus

Marcus Antonius Vlmus Patauinus.

SI commiſcentur ſcribendi Caracteres, tunc ingenia pariter vel audientium, vel legentiũ confunduntur, Aetherogeneus ſtilus exiſtit ſimul docere Indicia, & Indiciorũ Cauſſas, quantum ego ſentio, tollit huiuſmodi character perſpicuitatem, inuehit obſcuritatem. Argumento ſint pueri qui litteras diſcunt cauſsâ legendi, illas addiſcunt ſigna tè primum, deinceps combinant, ſeu coniungunt, qui eſt alter gradus addiſcendi lectionem, poſtremo legũt. Aliud eſt docere Indicia Temperierum, aliud Cauſſas Indiciorum cognoſcere, vel tradere. Vtrunq; iſtorum ſeparatim (niſi inſanio) tradendum eſt, quotieſcunq; ſatagimus rem perſpicuè, dilucidè cognoſcere, vtrunq; Characterem doctiſſimus Pręceptor Ariſtoteles in Phyloſophia Speci fica, vel Spetierum docenda tenuit, nobisq; ſignificauit docti ſatis intelligunt; feliciſſimè ageretur cũ vniuerſis Facultatibus, atq; Sciẽtijs vbi ceſſaſſent à tot commentandi generibus, & veſtigia Præcepto ris huius iunioris tenuiſſent, quæ aliquatenus pro virili tenere conatus fui in voluminibus hactenus à me conſcriptis, conabor etiam in reliquis tradendis operibus.

Propterea ſeparatim ſcripſi hoc Opus de Indicijs Tẽperiei Vteri, vel Partium Genitalium Fœminarum: Cui ſubiungam, & breui librum de Cauſſis horum inditiorum: conſulent ei, qui eſt doctrinæ ſpiritus, ipſa perſpicuitas. Quę narraui non equidem

dem condemnans Nicolum, at deplorans noſtrorum, & ſuperiorum temporum calamitatem. Sed non adeò feliciter nobiſcum agitur vt quiſpiam error ſimul oſtendatur, & relinquatur, ipſi viderint doctiores.

Argumentum illud, quod ſumpſit Nicolus à fœminis caſtratis eſt curioſiſſimè penſitandum. Quia docet ſenſibiliter vterum, ac teſtes fœmineos concurrere ad temperiem totius corporis conſtituendam. Hoc deſumpſit à Galeno, & ex libro de vſu partium. An caſtrentur fœminæ noſtri generis, veluti Brutorum, docuimus nos ex antiquorum teſtimonio, atq; in opere noſtro. De Fine phyſico, & Medico Barbæ Humanæ, Sectione Tertia, Capite quarto, & Rub. de Caſtratione fœminarum Humanarum, quæ à me dicuntur Eunuchæ. Ibi ex Xantho Hiſt. lib. ſec. Lydiorum indicauimus Lydo ũ Regem Andramytim fœminas primum Caſtrauiſſe, & Eunuchorum loco illis vſum fuiſſe. Opus hoc meum editum eſt, ſed non adhuc publicatum, breui tamen inuulgabitur. Sed audiamus ipſum Auenzoarem qui & ipſe retulit à Nicolo dicta, at alia adhuc eidem aduerſaria.

Auenzoar Libro Secundo, & Tract. quinto Cap. quarto, Rub. vero De dislocatione Matricis.

Et recordati fuerunt quidam Medici, quod aliquando putrefiunt ligamenta matricis omnia, & exit matrix omninò: & permanet Mulier abſq; matrice, & viuit ſine

dimi-

Diminutione aliquarum suarum Operationum. Et dixit mihi quidam Amicus meus, de quo & eius Veritate confido, quod vidit Mulierem, cui omninò Matrix exiuerat, & remansit viua faciendo omnes suas Operationes Naturales integrè, & perfectè. Et sic esse debet absq; dubio, cum non sit Membrum Principale, nec aliquibus Membris aliquas præstet Vtilitates, nec præstet aliquod iuuamentum in Conseruando Vitam, nec inuentum fuit ad illud. Et pro certo iuuamentum in Muliere est Matrix, sicut Membrũ Viri in Viro. Tamen Testiculi sunt Membrum Principale, sicut declaratum est: & ex ipsis est Vir, idest Masculus Vir diuersificatus à Muliere.

Sed Matrix non est alterius Iuuamenti, nisi quia facit appetere Coitum: & ad Imprægnationem recipiẽdam: & facit Crescere, & Tumere Vbera.

Et Græci quandò volunt impinguare Scrophas, Extrahunt eis Matrices.

Testiculi autem Mulieris Minores sunt, quàm existãt illi Virorum, & Testiculi Virorum sunt rotundi: Mulierum verò Plani.

Cùm autem Testiculi Mulieris extrahuntur, redditur Animal incognitum. Quia ex omnibus Animalibus sunt Masculi, & Fœminæ: & cui ablati sunt Testiculi non est Masculus, neque Fœmina: nec potest esse Moris Masculi, neque Fœminæ. Quare de necessitate est alius à Masculo, & Fœmina.

M. Antonius Vlmus Patauinus.

Commutatur sanè Temperies Corporis Fœminei quotiescunq; Castretur Fœmina, vnde apparet

Genitales Partes Fœmineas obtinere Locum inter Partes Principes, atq; illas eaſdē obtinere Vires Influentes, quod aiunt, nimirum pendere Temperiē à ſeipſis reliquarum Partium. Sintne Teſtes, an Vterus nimirū alterutra iſtarum Partium, vel Vtraque ſimul, & Quomodo contingat non eſt huius loci quærere, definire ipſius rei Veritatem. Sufficiat hoc ſenſile Argumētum animaduertiſſe haud negligendum Viris liberaliter, non autem ſeruiliter Philoſophantibus: adijciam quod ſcripſerit Paulus & ipſe referens Mulieres Vtero exciſo penitus aliquas ſuperuiuere, legatis, audiatis.

Paulus Aegineta libro tertio, & Cap. 72.

Si verò vbi per tempus manſit, putrefactum fuerit id, quod procidit, auferatur id citrà omnis periculi formidinem. Nam Totum eſſe ablatum Vterum Putrefactum narrant, & tamen Mulierem vixiſſe.

Marcus Antonius Vlmus Patauinus.

Contrà id ego intellexi euenisſe, atq; in Oppido Agri Brixiani ſatis celebri, & in Via Regia poſito Mantuam verſus, hoc dicitur *Montechiaro*, alluit ipſum Cluſius Amnis nobili vetuſtate inſignis, & Larij Lacus, niſi fallor, alumnus: ibi Medicinā diù feci, quod Parentes mei Franciſcam Sororem meā dederint Vxorem IACOBO ZENARO eiuſdem Oppidi antiqui oriundo ætates multas. hic eſt Chyrurgus omnium Experientiſſimus (abſit

sit verbo inuidia) neq; interim quicquam tribuimus Affinitati, si mentior, diras quascunque patiar. Præterea is Vnus est NARIVM CVRTARVM RESARCIENDARVM Egregius Artifex. Opere ipso iam Testimonium Clarissimum perhibuit. hanc Artem quam iunior ego scripsi, nunc nouo dato nomine, appello pluribus nominibus, at singularibus, quę nũc propono considerandа, nam breuissimo Caractêre, atque perspicuo illam (si Deo placuerit) docebo, nullum Artis Mysterium occultans, & Iconibus pluribus, atque Necessarijs illam adaugens, quippe me tunc temporis Adolescẽtem etiam scribentẽ nonnulla subterfugere, nec enim animum satis appuleram ad scribendũ hæc sunt Noua conficta mihi Nomina.

1 CHYRVRGINSITIO.
2 INSICHYRVRGIA.
3 NASINSICHYRVRGIA.
4 NASICHYRVRGIA.
5 NASICHYRVRGINSITIO.

Sed hæc aliàs, interea nos prosequamur susceptum negotium, deprecantes veniam huiusce digressionis ab Ingenijs Rotundis, Anxijs, & Scrupulosis. Narrarunt mihi incolæ Montisclari Oppidi iam relati, Obstetricem præcidisse cuidam Mulieri Vterum prolapsum, quæ paulopost ex Hæmorhagia interijt, an superstes futura, si præsidia fuissent adhibita, ignoro, Academicis nunc subscribens, quantum pertinet ad Genus nostrum, & in Fœminis ætate prouectis, quæ Vasa obtineant insignia. Nicolum proponamus, vos legite, audite.

Alterum Indicium.

Secundum Signum est sumptum ab Exeunte Mutato. Et est, dixit Auicennas, Paucitas Menstruorum. Quia Caliditas Matricis resoluit, & consumit Partem eius, quod defluit ad ipsam. Fit etiam in Toto Corpore ex Caliditate redundata super eo Melior Digestio: Vnde & Paucioris fiunt Superfluitatis, & per consequens Menstrui diminuitur Quantitas. Et non obstat, quod dicunt quidam, Quòd Caliditas est Attractiua, & Dilatatiua Viarum; Quoniam Virtus Attractiua Menstrui in Matrice est Debilis, Nec defluit ad ipsam per suam Virtutem Attractiuam, sed Expellitur ad ipsam ab Expulsiua Principalium, & Nobilium Membrorum, & non iuuatur Virtus Attractiua Matricis à Calore ipsius in attrahendo in tantum, quod non sit plus, illud, quod resoluitur, quam illud, quod Attrahitur. Istud tamen Signum non est Proprium, cum possit Paucitas Menstrui ab alijs Causis prouenire, quàm à Caliditate eius, vt ab Opilatione eius; Et ideò non significat Caliditatem, nisi sit iunctum cum alijs Signis significantibus ipsam.

Marcus Antonius Vlmus Patauinus.

Nicolus concedit Vtero Facultatem Attractricem Menstruorum, at ipsam Debilem. Galenus verò negat, ipsum audite, legite.

Galenus libr. Quinto de Simplicium Medicamentorum Facultatibus. Cap. xxij.

Itaque mirandum non est, situm Victus, tum Medicamenta Similia sint, nempè & ea, quæ Generant, sedantq; in Menses singulos ex Utero Purgationem. Et ea, quæ Lactis in Uberibus Generationem procurant, ac supprimunt. Quanquam hactenùs differant, quod & Calidioribus, & magis Incidentibus Purgatio Menstrua nonnunquàm indigeat: quippe cum ea in parte sitæ Venæ magis aperiri debeant, quàm quæ tendunt in Mammas: & Sanguinem Fluxilem magis requirãt, nimirum. Cũ Uterus ad Delationẽ eius nihil cõferat. *Mittuntur enim in Venas, quæ illi committuntur haud Attrahuntur Menses. At Sanguis in Ubera non tantùm mittitur, sed & trahitur, ac proinde leuiore subsidio Medicaminũ opus habet, cùm non abundè in Mammas confluit.*

Marcus Antonius Ulmus Patauinus:

Sed Volũtariam istorum Virorum Doctrinam, præsertim Galeni sequentes institutum, Veritatem rerum, non scribentium Dignitate, sed Rationum pondere metientis, non equidem nos (& pace illorum, atq; assectarum dicatur) magni æstimamus. Contra potiùs arbitramur Uterum pollere Vi Attractrice Sanguinis (nisi quid contingat præter Naturam) ipsius Menstrui, qui perfunditur etiam Vi Genitali non solum Uteri, sed Testiũ quoq; in proximo adiacẽtium beneficio, vnde fit Materia apta

Gene-

Generationis Fœtus, quātū pertinet ad Fęmininū Principiū, qui tamē Sanguis Mēstruus Vi Genitali Fœminina perfusus consummatur, adueniente, & adiungente se Facultate Genitali Principij Oppositi, scilicet Maris, quicquid sentiant Veteres, atque Scholæ, sed non interest huius loci hanc rem definire, sat fuerit indicasse opinionem. Neq; colligāt Fœminam posse Generare Per Se Molā, quia vidi hactenus illā Generari à Mulieribus Viro vtētib⁹, nunquam autem à..... Virginibus cognoui Molam fuisse Generatam, neq; hactenus audiui. Vterus attrahit Menstrua, quia est Pars Princeps, apparet eiusmodi Dignitas ex ipsius ablatione in Brutis, at prosequamur.

Indicium Tertium.

Tertium Signum etiam sumptum est ab Exeunte Mutato in sua Qualitate. Et est, dixit Auicennas, quod significant ipsam Color Menstruorum declinans ad Citrinitatem, vel Viriditatem, vel Nigredinem cùm Fætore, Quia Viriditas, & Nigredo possent à Frigido prouenire; Et tunc non erit in eis Fætor, vt apparebit: Fætor enim significat quandam Caliditatem pręter Naturam super rem Naturalem. Et istud Signum habet Veritatē, pręsuppositā Equalitate Complexionis in Principalibus Membris ipsius Mulieris, ità quòd non fiat in Menstruo ex Caussa illorum Color Citrinus, Viridis, & Niger.

Indicium

Indicium Quartum.

Quartum Signum est sumptum ab Operatione læsa, & est, dixit Auicennas quòd significatur aliquando Caliditas Matricis Ex Doloribus in Partibus Hepatis venientibus, & secũdùm Hippocundrium Dextrum, Vel secundum Hyppocundria ambo, & tunc debet suppleri, & in Partibus Splenis, & hoc est melius Dixit Auicennas Quandoq; Quia hoc non est semper apparẽs, & propter alias Caussas euenire potest. Possibile est enim Matrice existente Calida, Epar esse Frigidum, & multiplicare Ventositatem, Causantem in eo Dolorem; Et ex alijs Causis. Et similiter etiã potest dici de Splene. Et ideò hoc Signũ Indicium dat iunctum alijs significationibus Caliditatem Matricis.

Indicium Quintum.

Quintum Signum est sumptum à Vulneribus, seu Vlceribus Matricis, quoniam ipsa multiplicantur in Matrice Calida propter Caliditatem incendentem Sanguinem, & Humores, vndè redduntur Pungitiui, Mordificatiui, Vlceratiui. Et istud iterũ Signum non est Certum, cum possint ex Alia Causa prouenire Vlcera in Matrice, vt propter Hepar Calidum transmittens ad eum Humores Acutos.

Indicium

Indicium Sextum.

Sextum Signum dixit Auicennas est Exiccatio Labiorum Mulieris, scilicet Oris eius.

Et *Gordonius* dixit; Et Sitis

Et *Gilbertus* addidit, Et Continua Amaritudo Oris, quod cõtingit propter Communitatem Magnam, quam habet Matrix cum Stomacho. Cum est Calida, ipsum Calefacit, & Desiccat, quo desiccato causatur Siccitas in Ore, & in Labijs Mulierum Causantur etiam indè Sitis, & Amaritudo.

Alia littera habet Labiornm Matricis, & est etiã Bona, quia Caliditas eius desiccat etiam Vuluam. Non tamen sunt hęc Vera semper Cum possunt habere aliam Causam.

Indicium Septimum.

Septimum Signum est Multitudo Pilorum, scilices in Pectine, & cum iam nota est.

Arbitror subesse Librarij, vel Typographi Mendum, scribiq;, vel imprimi debuisse. Et cum iam nata est.

Indicium Octauum.

Octauum Signum est, dixit Auicennas, Tinctũ Aquæ, idest Vrinæ secundum plurimum, non tamen semper. Rubet autem Vrina propter Caliditatem Vesicę, & Renum maximè, & etiam Hepati communicatam. Si tamen tantum communicaret

Renibus

Renibus Caliditatem, quod dilataret Vias eorum, & eorum Attractionem fortificaret, tanta humiditas Vrinalis attraheretur ad eos, & tã paruo tempore moraretur in ipsis, quòd non posset tingi, & non tincta egrederetur.

Indicium Nonum.

Nonum Signum dixit Auicennas, sunt Veloces Pulsus propter Caliditatem communicatã Cordi.

Indicium Decimum.

Decimum Signum dixit Gordonius, est Appetitus ad Venerem Magnus cum delectatione multa, & Veloci Spermatis Emissione.

Indicium Vndecimum.

Vndecimum Signum sunt Viragines secũdùm plurimum, & Velocis Motus in Actionibus.

Indicium Duodecimum.

Et potest addi Duodecimum Signum, sumptũ A Iuuantibus, & Nocentibus.

Signa Matricis FRIGIDÆ.

Indicium Primum.

Signa Matricis FRIGIDAE sunt Primum dixit Auicennas, Retentio, vel Ablatio Menstruorum. Aut ipsorum Paucitas. Et scias quod Mẽstrua diuersimodè fiunt Pauca in Complexione Calida, & Frigida.

Quia in Calida per Viam Reſolutionis,& Exiccationis,vt dictum eſt.

Et in Frigida propter Strictură Venarũ. Quamuis enim in tali Muliere communicata Membris Nobilibus Frigiditate per viam Indigeſtionis Superfluitates multiplicentur. Nihilominùs Paucæ per hanc ſaltem viam euacuantur propter ipſarum Debilitatem, Et Viarum Anguſtationem; propter quod etiam illud Paucum quod eſt Subtile, quoniam Groſſum non valens tranſire retinetur.

Indicium Secundum.

Secundum Signum dixit Auicennas eſt ipſorũ Albedo, Aùt Nigredo vehemens. Nigredo autem vehemens procedit, aùt à Caliditate adurente: Aut à Frigiditate Mortificãte; & tunc eſt ſinè Fœtore. Et hoc eſt Verum, niſi Nigredo fiat per Communitatem ad Splenem tranſmittentem Sanguinem Nigrum Melancolicum. Albedo autem fit à Frigido agente in Humidum, & propter admixtionem Phlegmatis.

Indicium tertium.

Tertium Signum dixit Auicennas eſt Prolongatio Mundificationis. Quod Duobus poteſt contingere Modis. Vno modo, quando prolõgatur Tempus reditus Menſtruorum: Quia ſcilicèt tardat venire per Menſem. Alio modo, Poſtquàm veniunt diutiùs perdurant, antequam Mundificẽtur. Cùm hac ergò Prolongatione totum illud, quod emittitur,

titur, est Paucum propter Causſam dictam in Primo Signo.

Indicium Quartum.

Quartum Signum est sumptū à Regimine precedente Infrigidatiuo: sicut Vsus Ciborum Grossorum Infrigidatiuorum.

Et Coitus pluriimus,& similia.

Indicium Quintum.

Quintum Signum est Stupor in Superioribus Matricis,& circà Hyppocundria, & Vmbilicum: Vel in Superioribus, idest Exterioribus, quę possunt vocari Superiora, respectu Interiorum: & erit vt sit in Mirach Ventris Parua Sensibilitas, & hoc propter Frigiditatem communicātem dictis Partibus.

Indicium Sextum.

Sextum Signum est Paucitas Pilorum in Pectine: Et sunt Flaui: & Rari.

Indicium Septimum.

Septimum Signū est Paucitas Tincturę Aquę, idest Vrinę,& Corruptio Coloris eius, quia erit cū Offuscatione, vel Turbulentia, & omninò non est Color Vrinę Pulcher.

Indicium Octauum.

Octauum Signum est sumptum à Pulsu, quoniam est Tardus propter Frigiditatem communicatam Cordi.

Indicium Nonum.

Nonum Signum est Paucitas Appetitus ad Venerem, Et Tarditas emissionis Spermatis Cum Parua Delectatione in Ea.

Indicium Decimum.

Decimum Signum est Tactus Frigiditatis Corporis eius, cũ Discoloratione Faciei: Et totiùs Corporis: Et Sensibilitas Frigiditatis in profundo circà Regionem Matricis.

Indicium Vndecimum.

Signum Vndecimum est sumptum à Iuuantibus, & Nocentibus.

Modus cognoscendi Varietatem Menstruorum.

Modus cognoscendi Colorem Menstruorum est, dixit Auicennas, sumatur Pannus Lineus Mundus, & supponatur in Nocte, & Mane tollatur, & ponatur in Vmbra, & Siccetur, & cum exsiccatus fuerit, consideretur Color eius.

1 An sit Rubeus, significans Caliditatem, & Dominium Sanguinis?

2 An sit Citrinus, significans Caliditatem, & Dominium Cholerę?

3 An sit Albus, significans Frigiditatem, & Dominium Phlegmatis?

4 An sit Niger, & significat Frigiditatem, & Dominium Humoris Melancholici?

Marcus

Marcus Antonius Vlmus Patauinus.

Constabit hanc Doctrinam, veluti Nicolus innuit desumptam fuisse ab Auicenna, si legeris, aut audiueris, quę inferius dicentur. Ipse autem Auicennas mutuatus est eandem ab Hippocrate, sed Arabem primò proponamus.

Auicennas lib. Tertio, & Fen vigesimaprima Tract. primo, Cap. Quarto.

TEMPERIEM Matricis significat Color Menstruorum. Et propriè cum sumitur Pannus Lineus, & supponitur in Nocte, deindè Exiccatur in Vmbra, & consideratur, An sit Rubeus? An Citrinus, & significat Caliditatem, & Choleram, aut Sanguinem: Aut sit Niger, & Albus, & significat Contrarium illius. Verùm Niger cum Fœtore Putrido significat Caliditatem quandam, & qui est sine ipso, significat Frigiditatem.

Hippocr. lib. j. de Morbis Mul. Tex. 23.

Quùm Menses prodeunt, Linteum complicatum Palmi magnitudine super Tenuem Cinerem expandito, deinde vt quę exeũt, super hoc defluãt, curato Pręstat autem Duo esse Lintea, Vtrunque seorsim, Alterum Diurnum, Alterum Nocturnũ, Et Diurnum quidem postera Die lauare oportet: Nocturnum verò vbi per Diem, ac Noctem super

Cinerem

Cinerem ſitum fuerit. In Lotura verò conſiderare oportet, Qualia nam fiant Lintea Lota? vbi in Sole fuerint Siccata. Optimum tamen eſt in Tenebroſo Loco ea reſiccari. Siquidem igitur Pituita fuerit, quę Conceptionem impedit Muccoſa Lintea erunt. Si verò propter Salſuginem, & Bilem impeditur, Fulua, & Subliuida. His igitur conſideratis, & diligenti animaduerſione expenſis, totum etiã Corpus inſpicito; An multa Purgatione opus habeat, an Secùs: ità vt ad Colorem & Aetatem, & Robur, & Anni Tempus, & qua Diæta vtantur inſpicias.

Marcus Antonius Vlmus Patauinus.

Per Analogiam deſumpſit Auicennas Modum veſtigandi Temperiem Menſtruorum, ex quibus conijcere licet ipſius quoquè Vteri Temperamentum Documentum ſit vobis curioſiſſima perpendere animaduerſione quę Annexa tradidit Hippocrates.

Legatis pręterea eundem

Libro primo De Morbis Mulierum Textu Trigeſimoſeptimo. Adhuc in eodem Libro Text. Vndeuigeſimo ſupra Centeſimum.

Libro De Natura Muliebri Textu Vigeſimo.

Pręterea in hoc Lib. Tex. Septuageſimoſecũdo.

Libro De Sterilibus Textu Decimoquarto.

Cur autem abſque Notis Arithmeticis indicauerim huiuſmodi Loca, ſed potiùs fuerim vſus Dictionibus omninò ſignatis nõ pigebit referre. Ceſ

ſerit

ſerit nanque fortaſſis in Vtilitatem publicam Artis Medicæ, neq; eandem negligendam, ſi Veritatem indicatam voluerint accipere. At Error non ſimùl & oſtenditur, & relinquitur, pudetq; homines Doceri, vſqueadeo pruriunt omnes Docere. Sed vitium nunquam, aut rarò admodum radicitùs euellitur, & latè funditur.

Caractêrum Arithmeticorum vſus eſt oppido quam fallax, lubricus, & errori obnoxius, vel propter incuriam, vel propter hominum quoque malitiam.

Quamobrẽ ex Analogia cuiq; patet ſatis Mandata Medica, ſeu Præſcriptiones Medicorũ (quas obtinuit vſus dici Receptas) iiſdem ſubiacere periculis, cum ſcribi ſoleant, & Notis, & Charactêribus Arithmeticis. Documentum itaq; foret mortalibus valde Saluberrimum, illa reijcere, atque vti Dictionibus integris, & ſignatis; difficilius nanq; ſubreperet error, qui plerunque ſolet contingere, veluti animaduertimus, atq; Salutis hominum iactura. Neque mea tantum hæc eſt Opinio, ſed & Antiquorum, vos legite, audite.

Galenus Libro Septimo, De Compoſitione Medicamentorum per Genera. Cap. 9.

Porrò inuenit Menecrates, vt ipſe ait, & alij quidam ei atteſtantur, Medicamentum Diachylon, id eſt Ex Succis appellatum: Phlegmonis nondùm vehementer Dolentibus eſſe Remedio. Inſcriptus eſt Liber, quo Pharmacum tradidit.

Auto-

Autocrator Hologrammatos:

Certè Autocrator, quasi dicas Imperator, quoniam huic dicatus est.

Hologrammatos quia sine Notis, integris Syllabis expressus est. Duo, Tria, Quatuor, Quinque, Aliusq; quilibet Numerus, vel Rosinæ, vel Picis, vel alterius cuiuspiam Medicaminis.

Hoc autem fecit Menecrates, quòd sæpè non modò nolentibus Errorem committere in Scripturis cõtingit, Sed etiam per Inuidiam quibusdam volentibus dum o litterã θ faciunt, per mediam rotundam lineam alia transuersim ducta, verò Litteræ alia similiter transuersim apposita; sicut etiam vna linea ex , & e deraſa litteræ, Characterem relinqui contingit. Pari modo ex multis litteris, Alijs Appositione, Alijs Compositione, Alijs Ablatione mutari Notas, siù Caractêres illos indicantes accidit. At nihilo plus Menecrates Posteritati consuluit, cum ij, qui eius Librum scribunt, Appellationes Numerorum nõ integris litteris, sed Caractêribus eas significantibus notent.

Iure igitur Damocratis Libri Medicamentorum, metris descripti in pretio habiti sunt. Et si omnia hunc in modum tradita forent, optimum nimirum esset.

Marcus Antonius Vlmus Patauinus.

Sanè admiror, neq; satis Medicos nostri temporis Documentum non fuisse insequutos Menecratis, admoneo interim ego, quicũq; sim, haud velim beneficio mortalium negligere hanc scribẽdi Formulam

mulam in exarandis Mandatis Medicis, aùt Receptis. Exemplum ſit.

Rec. Mellis Roſ. ſol. compoſ. Vnc. Quinque, cum Vino Gran. Dulc. q. ſ. f. potio.

Marcus Antonius Vlmus Patauinus.

Subiunxi Chirographum, quòd obſignari eodem oporteret ipſa Mandata, vtcunq; accipiatur Documentum huiuſmodi, non attamen piguerit obiter id animaduertiſſe: nullius violamus arbitrium: ſuo quiſq; inſeruiat Cerebro. Non ignoramus Cautionem quibuſdam eſſe Medicis voluntatem ſuam non tantum Characteribus, verum etiã Dictionibus, atq; Cymmerijs verbis occultare, ſed & Gallinarũ Scripturis (vtar interim Dicto Plautino: Quid & Gallinæ ſcribunt?) catè, callide quaſi ambagibus Delphicis obuoluere ad aucupandam apud Vulgus Dignitatem, quod ſummè admiratur, quæ non intelligit, non veritate, ſed ignorantia ſua dimetiens rei momenta ipſius.

Modò ſi qui ægreferant nos à propoſita fuiſſe digreſſos Materia conſulant Excurſus Pergamenos, & ſi fuerit illis Vnciola Cõmunis ſenſus obrigauerint, & Marpeſiæ tanquam ſteterint Cautes, quas ego Coruis dedo deliniendas. Filum iam reſumamus. Quantum pertinet ad Menſtrua interſtinguenda ex Colore, quam cognitionem ſi Medicus negligit in Mulieribus curandis omninò is Carnifex exiſtit, proinde ipſam debet vnuſquiſq; acriter ſatagere, vos legite, audite meum Conter-

raneum Vestigijs maiorum prudenter veluti, & in cæteris inhærentem.

Ioannes Michael Sauonarola Patauinus.

Tract. 6. Pract. Maioris. Cap. 21.

Rub. 6. De Menstruis.

Tu tamen nota, quòd cùm volueris certificari de Humore, qui est in Caussa, fac, vt Tempore Menstrui illud modicum, quòd colligitur super Petiam, Exiccetur in Vmbra: Deinde aspiciatur Color eius. Quod si fuerit Rubeus &c. Sanguis: si Citrinus Cholericus, & ità de Alijs, vt sæpè.

Nunc progrediamur ad referenda Indicia Veteri ipsius HVMIDI.

Indicia Veteri HVMIDI.

Indicium primum.

Signa Complexionis humidæ sunt, dixit Auicennas Tenuitas Menstruorum. Sumẽdo Tenuitatem prò Fluxibilitate, non prò vera Subtilitate.

Indicium Alterum.

Secundum Signum eius est Multitudo Cursus Matricis: scilicet Humiditatum Menstrualium. Quæ fluunt Liquidæ, & Humidæ, & Multæ, vel aliarum Humiditatum, propter quarũ decursum stat Vulua earum, quasi continuè Humida Humectata, aut quadam Humiditate alia Fluida.

Indicium

Indicium Tertium:

Tertium Signum est Abortus Fœtus, cum Magnificatur Scilicet Fœtus: Quia in tali Matrice Cotyledones sunt Laxi, Humidi, facile frangibiles; quos facile frãgit Magnificatus Embrio: ipse enim non benè formatus in Matrice propter Humiditatem, quasi lubricans est Causſa, quòd Cotyledones frangantur præ Grauedine ipsius.

Indicium Quartum.

Quartum Signum est: Non delectantur in Venereis: cum tamen vtuntur eis, Emittunt Sperma Fluidum multum.

Indicium Quintum.

Quintum Signum Vrina Grossa Humiditatibus plena.

Indicium Sextum.

Sextum Signum. Totum Corpus redditur Humidius, & Lenius.

De Indicijs Temperiei Vteri SICCI.

Indicium Primum.

Et signa Complexionis Siccæ dixit Auicennas Primùm est Exiccatio Menstruorum; & Grossities; & Densitas eorum.

Indicium Alterum.

Secundum ſignum eſt Paruitas Curſus eorum: Et quia Pauca,& Pauco Tépore exeunt, & Mundificantur Citò . Paucitas tamen Menſtrui ſinè Groſſitie ipſius non eſt Signum certum Siccitatis, cum poſſit ab alijs Cauſis,vt dictum eſt.

Indicium Tertium.

Tertium ſignum . Appetũt Coitum,ſed parum poſſunt ſuper eo : & quòd emittunt Sperma Paucum:& eſt Solidum.

Indicium Quartum.

Quartum ſignum. Totum Corpus redditur Siccum:& Extenuatum.

Indicium Quintum.

Quintum ſignum eſt Siccitas Oris:ſcilicèt Matricis : Eſt enim Vulua Paucarum Humiditatum; & propter Exiccationem Matricis non Abortiũt, niſi ex magna Cauſſa . Vel Siccitas Oris, ſcilicet Labiorum:& Sitis communicata Siccitate Stomacho .

Indicium Sextum.

Sextum ſignum. Vrina eſt Subtilis, & Limpida.

Signa autem Compoſitarum Complexionum Matricis haberi poſsũt ex Complicatione Signorum Simplicium.

M. Antonius Vlmus Patauinus.

Hucusque progressus est Nicolus Florentinus Vir Doctus, qui & Multùm, & Multa legit, omniaq; Lecta Medica retulit in hoc Opus Medicũ; is profectò quando legisset aut Edita, aut Manuscripta Exemplaria ad hãc Materiam spectantia, illa haud neglexisset, at potiùs exscripta hûc transtulisset, veluti constat apertè satis, cum reddiderit accepta Gordonio, & alijs, quæ in eorũ legit Monumentis. Est enim (veluti Plinius ait) benignum & plenum ingenui pudoris, fateri per quos profeceris, non vt pleriq; ex ijs, quos, at præstat vti Artica Eloquentia. Scitote enim conferentem me Autores, deprehendisse à iuratissimis, & proximis veteres transcriptos ad verbum, neq; nominatos, nõ illa Virgiliana Virtute, vt certarent: nõ Ciceroniana Simplicitate, qui in Libris De Republic. Platonis se Comitem profitetur: in Consolatione Filiæ Crantorem, inquit, sequor: item Panætium De Officijs, quæ Volumina eius ediscenda, non modò in manibus habenda quotidie nostis. Obnoxij profectò Animi, & infelicis Ingenij est, deprehendi in Furto malle, quàm mutuum reddere, cum præsertim Sors fiat ex Vsura. Sunt qui vafrè admodùm, scilicèt Aristotelico more, visis aliorum Opinionibus, per Analogiam ijsdem quasi corrasis, volunt videri Noua protulisse, vetustis Fundamẽtis inædificantes, quod eam Analogicè, & Fundamentaliter exceperunt. Pax. Tot nos habemus (quæ fuit

Gratia

Gratia Dei Optimi Maximi) Inuenta cum in Philosophico, tum in Medico Negotio, vt dementis otij fuat nugas curare. Dabimus Philosophiam nostram De Vltimis Sensibilibus ab Aristot. prorsus ignoratis, quod Pace dictum sit omnium eiusdem Sectatorum, eorum scilicet qui eidem iuramenta dedere.

Dabimus breui Physiologiam Pilorum Humanorum, & hanc Partem Corporis nostri suis Natalibus restituere conabimur, vnius Maiestatis Naturæ acti, cuius dum Vita hos reget Artus, erimus propugnatores acerrimi, iuxta modulũ tamen Ingenioli nostri, semper illuc respicientis. Homo ille sapit, qui & minimùm, & rarò desipit. Nemo siquidem Mortaliũ omnibus horis sapit. Ingenijq; nostri Moderatio Existit Cata, Prudens, ac Sapiẽs Ratiocinatio. Plura nãq; nisi Plurima, vel Omnia cognoscunt Docti nobis esse Occulta, & si quę cognoscuntur illa vix, tenuiter admodũ percipiũtur.

CAPVT QVINTVM.

Indicia Temperiei Vteri Muliebris, quę desumuntur ex Antonio Guainerio Pap.

VIX fallunt Animi præsagia, vbi acriter singula pendas, vel ex hoc vno cognoueris Antonio Guainerio Papiensi, Viro eruditissimo, atq; Medico pręter Doctrinę totius Exemplum etiam Experientissimo, qui Gloriã apud Posteros viuens collimauit, eosdem amplissimis beneficijs demerens,

rens, illam ipsam si vnquã alius integerrimis Operibus ampliter sibimet parauit, quatenꝰ vel ea ętas ferebat, vel ipsius intererat, Obscurus tamen Vir alioqui egregijs facinoribus illustris iacet, delitescit, nulli cognitus, nulli tamen Mortalium Medicorum postponendus, nullus magis cognoscẽdus, & Encomijs nobilioribus celebrandus, quam Noctem timuer itne Guainerius? vos legite, audite ipsum eundem.

Incipit Prologus editus per Eruditissimum Virum, Magistrum Antonium Guainerium Papiensem Artium, & Medicinæ Doctorem Clarissimum.

Magnò, ac summo desiderio iamdiù cuiuscunq; Particularis Membri Aegritudinum curam ponere concupiui: Sed Clarissimi quidam Antiqui Viri me cautum reddiderunt sub Morte præuenti inchoata Opera finire nequiuerunt: Vndè si quid perfectum erat, Nihil suprà: propter tamen totius Operis imperfectionem nulla est de eis facta mentio, & sic vacuè tempus eorum pauperculi consumpserunt. Ne igitur mihi veluti illis eueniat, nullum hactenus in Membris Ordinem obsrruando, Commentariolos quosdam edidi Membris in quibusdam appropriatos, vt quicquid eueniat, hi absoluti in lucem saltem remaneant, quod & in præsentiarum facere libet. Quare Commentariolus præsens De Aegritudinibus Capitis sit, volo, quem, si, Deo auxiliante, fecero facilè mihi erit iam factos cum Eo ordine quodam concatenare. Sis igitur Bone Deus mihi (vt soles) adiutor, cui sint infinitæ laudes. Amen.

Marcus

Marcus Antonius Vlmus Patauinus:

Guainerius Doctissimus Doctissimè scripsit, quęcunq; scripsit, attamen iacet Caligine mersus profunda, cuius Opera Medica si legerentur, næ felicius cum ipsa Medica Praxi ageretur, atq; multo beneficio mortalium. Sunt qui eiusdem opera corraserint, & Mangonio Fuco interpollarint, neque mutuum reddentes iniusti, sed Famam Fraus nulla latet: Satagam ego pro viribus talem ac tantum Virum de nostro censu Medico vsqueadeò benignè, & optimè meritum à tenebris in lucem diam reuocare: dedimus enim ei locum in Meridiationibus nostris Encomiasticis, quę pertinẽt ad Medicos Optimos. Omnium siquidem nobis famâ cognitorum laudes quantum licuit honorificentissimo Testimonio, Elogio scilicet prosequuti sumus, commemorauimus: defunctis coniungere libuit etiam Contemporaneos nostros. Veruntamen ipsum Guainerium audite, legite.

Commentariolus De Aegritudinibus Matricis, per Magistrum Antonium Guaynerium Artium, ac Medicinæ Doctorem Egregiũ Papiensem editus feliciter incipit.

De Notificatione Matricis, & Significationibus ipsius. Cap. Primum.

Matrix est Membrum à Naturâ pro Conceptione deputatum, inter Vesicam, & Intestina situm, Dorso,

Dorso, Sumini, ac Ossi Lato colligatum, Duabus cùm Tunicis creatum, quarum Intrinseca Venosa, & Extrinseca Substantiæ Neruea similis concernitur ambabus vnico cũ Collo ad Extrà protenso. Cuius Orificium ex Venis, & Subtilibus Ligamentis ante libationem contextum intrinseco Ori opponitur. Naturâ de Specierum perpetuitate sollicita in Mulieribus Intrinsecam Matricis Tunicam Venis contexuit, à quarum Orificijs congruo Tempore Menstrua, quæ à Vulgo metaphysicè FLORES nuncupantur effluunt. Sicut enim Floribus carentes Arbores Fructus non ferunt: Sic necnon Menstruantes Mulieres.

Ipsæ Virorum comparatione Frigidæ sunt, & Humidæ multum: Quæ Humiditas in eis Calorem hebetat, cuius Superfluitates generantur Plurimæ in eis, quæ Matricis in Venis congeruntur. His cum Natura grauatam se sentit per Venarum Ora eas ad Extrà pellere conatur: quod in naturaliter se habẽtibus fit Mense omni, Diuersis quãuis Temporibus: Et hoc diuersitate Lunæ aspectus prouenit, cui secundum Ptolomæi sententiam Quarta parte sui Quadripartiti cap. 8. Quatuor Quartas attribuimus.

Primò à sui Apparitione ad Diacotomitatem primam, seù Semilluminationem vsque euenit, quam Calidæ, & Humidæ Complexionis fore est Experimento cognitum.

Ab hac ad Plenilunium Secunda pertingit, & hæc Calida est, & Siccæ.

Tertia Frigida & Sicca Plenilunio ad Diacotomitatem vsque Secundam vsque perdurans Frigida, & Humida censetur.

Hanc ob Caussam puellæ in Prima:
Adolescentiores in Secunda:
Consistentes primæ in Tertia:

Et aliæ in Quarta Quadra Menstruantur vt plurimùm.

Vnde si Menstruorum Retentio eis præter Naturam affuerit: Ars cùm Naturam imitetur ad ipsorum Prouocationem, duabus in Primis Quartis Puellæ, & ad Consistentiam vsquè Saphenarum Phlebotomiam fieri iubemus. Consistentibus verò ad Finem vsq; Senij in Duab. Quartis Alijs, ideò in Vulgari Versu.

,, Luna Vetus Veteres; Iuuenes Noua Luna requirit.

Ex his secundum Lunæ Aetatum Diuersitatem Diuersum Mulieribus Complexionem attribui liquet.

Nam in Prima Menstruationis Aetate, Calidæ dicuntur, & Humidæ, Esto magis Humidæ.

In Secunda Calidæ, & Siccæ; Calidæ tamen magis.

In Tertia Frigidæ, & Siccæ; Siccæ quamuis plus.

In Quarta Frigidæ & Humidæ; Magis tamen Humidæ, & hoc per accidens. Mulieres nanq; Caloris defectu in Parte Secunda consistentiæ, quàm ante, plures abundant in Superfluitates, etsi complexionis ætatiuæ meritò ad Frigiditatem, & Siccitatem declinant magis: Ea ergo de re talem etatiuam Complexionem Frigidam, & Humidam dicimus. Ex his nanque Caussa Diuersitatis Temporis Menstruationis manifestatur nobis.

Menstruum quoque Superfluum quoddam Alimenti, quod in alendæ substantiam non conuertitur, quidam esse volunt, aliud nihil. Et dicitur Menstruum à Mense, & Mensis à Menne Græcè, quod vt ait Isidorus Etymologiarum Quinto Latinè sonat sonat nanq; Mulier; & in Aetate debita existens Mense Menstruari debet.

Nec est Menstruum Mulieris Sperma, vt voluerunt nonnulli: ipsum enim est quædam Humiditas Salualis

Alba

Alba ab Vltimo Alimento resecata, & in Testiculis generata Mulieris ad Generationē deputata finaliter, propter quod Galenus in suo De Spermate ad Embrionis Generationem necessariò Effectiuè concurrere probare visus est. Cuius Oppositum Philosophorum Princeps in De Animalium Generatione studuit certificare. Et quia in sequentibus Matricis Complexionem noscere tibi est perutile audite, legite.

Indicia Vteri CALIDI.

1 *MATRICEM Calidam esse Pilorum Crisporum Multitudine circà Pudibunda ipsarum, atq; emissione Citissima cognosces.*
2 *Cuius MENSTRVA ad Citrinitatem declinantia Diem Tertium non transibunt.*
3 *Vt plurimùm VENEREM diligunt.*
4 *SEMEN emittunt Citò.*
5 *Et in Coitu delectantur maximè.*
6 *Ad Tactum Calidæ sunt.*
7 *Sunt & Sitibundæ:*
8 *Atquè cæteris Animosæ magis:*
9 *Labia Exiccata deferunt quasi semper:*
10 *Velociores in Motibus, ac alijs Actionibus sunt quibuscunque:*
11 *Pulsus Velox his est:*
12 *Et Vrina Intensa satis:*
13 *Quod si cum hoc Humores in Matrice Calidi fuerint, in ea Pondus, & Grauedinem percipiunt manifestè.*

Indicia Vteri FRIGIDI.

1 *FRIGIDA Matrix Pilorum retardat Ortum, Paucos, & Exiles emittit.*
2 *Frigiditas in ea sentitur:*
3 *MENSTRVA ad Albedinem declinantia sunt:*
4 *Et Paucum Coitum appetunt:*
5 *Parum SEMEN emittunt, Tardè:*
6 *Et in eo delectantur modicùm:*
7 *Ad Tactum Frigidæ sunt:*
8 *Et labia Humida ferè habentes semper, parũ Sitiunt:*
9 *Sunt Pusillanimes:*
10 *Ac in Motibus, suisq; in omnibus Actionibus Pigræ:*
11 *Pulsus Tardus est:*
12 *Et Vrina Tenuis, & Alba:*
13 *Quæ omnia si Frigidis Humoribus coniuncta sunt cum Grauitate Pondus in Matrice aderit.*

Indicia Vteri SICCI.

Matricis SICCITAS ex SICCITATE, & Euacuatione totius cognoscitur

Vuluæ Labia SICCA habent semper:
MENSTRVA Emittunt Pauca:
Et esto in Coitu Semen ferè emittant:
Nihil in eo tamen Delectantur:
Maximè Pulsus est Durus:
Et Vrina Tenus

Indicia Vteri HVMIDI.

1 *HVMIDAM Matricem ex Multa MENSTRVORVM Fluida Quantitate cognosces.*

2 *Vuluæ*

2 *Vulua Labia Humida deferunt ſemper:*
3 *In Coitu Delectantur parùm: Ac propter abundantem Humiditatem Viris non ſunt Grata:*
4 *Fiuntq; earum Matrices adcò Lubricæ, vt Semen retinere haud queant.*
5 *Pulſus eſt Mollis.*
6 *Et Vrina eſt Spiſſa.*

Ex præfatis igitur Signis quarumcunq; Matricum Complexiones Simplices comprehendes manifeſtè, quæ cùm inſimul coniungi poſſunt. Frigiditas ſimul cùm Humiditate, aut Siccitate: & cum his quoq; Caliditas Compoſita ſi fuerint Signa, permixta erunt. Et cum in ſequentibus hæc tibi Neceſſaria ſunt, illa benè Menti recollige. Et hæc de Notificatione Matricis, ac ipſius ſignificationibus.

Marcus Antonius Vlmus Patauinus.

Vixit Antonius Guainerius olim ſub Philippo Maria Vicecomite Mediolani, ac totius Liguriæ Duce Sereniſſimo, veluti apparet ex eius Nuncupatoria Epiſtola, cum illi dicauerit Commẽtariolum hunc, vnde iſta exſcripſimus. Titulus nanque talis exiſtit.

Antonius Guainerius Medicorum minimus Philippo Mariæ Mediolani, ac totius Liguriæ Duci Inuictiſſimo Seruitutis affectum.

Dum iſthæc nos exſcriberemus, Autorem hunc eruditiſſimum legentes animaduertimus ab ipſo fuiſſe aliquatenus obſeruatum BARBAM deſeruire Indicio Facultatis Generatricis Maſculæ, quapropter & accedere Teſtimonium Sententiæ noſtræ,

noſtræ, quam publicauimus in Fragmentis, quorum eſt Inſcriptio

De Fine Medico Barbæ Humanæ

A quo fortaſſe deſumpſit Hieronymus Cardanus Vir Doctus, cum & ipſe eadem ferè ſcripſerit, quemadmodum legimus in Obſeruationibus noſtris, at legatis, audiatis Guainerium.

Antonius Guainerius in Commentariolo De Aegritudinibus Matricis Cap. Nonageſimo ſub Rubr. De Signis tàm Pronoſticis, quàm Demonſtratiuis Sterilitatis, Difficultatis Imprægnationis.

Sterilitatis Signa tam in Viro, quàm in Muliere priùs ponenda ſunt, & Difficultatis Imprægnationis ſucceſſiuè.

Vir Effœminatus.

Effeminatum igitur Virum Sterilem iudica eum, ſcilicet, qui Timidus exiſtens, Actus Muliebres habet plurimos, Vocemq;, in cuius Pectine Pili Pauci, in BARBA Pauciſſimi ſunt, & Exiles. Hæc enim ſuper TESTIVM Malã Complexionem FRIGIDAM arguunt, cuius cauſsâ Sterilizatur Homo. Et talem Albertus Monſtruoſum appellat.

Marcus Antonius Vlmus Patauinus.

Sed hoc docet Experiẽtia, quam etiam ſunt inſequuti, non ſolùm Albertus Magnus, at Vetuſtiſſimi Viri Hippocrates, Aretæus, Ego locum, vel Sententiam Hippocratis indicaui in Opere meo De PHYSIOLOGIA Barbæ Humanę Finali, quę ſtatim exibit (Deo miſerante) ab hoc

Opere

Opere publicato Caput addixi Sententiæ Hippocraticę, circa quã postea sum philosophatus Causſas aperiens, at vos legite, audite ipsum Aretęum.

Aretæus Cappadox Lib. 2. Morbor. Diutur. Cap. 5. & Rub. De Seminis Profluuio. Iunio Paulo Crasso Patauino Interprete.

Atqui & Genitura Vitalitatem impartiens nos viros efficit, Calidos, Articulatos, Hirsutos, Vocales, Animosos, ad intelligendũ, Operandumq; valentes: Id viri testantur. Contrà verò quibus non inest Vitalis Genitura, Rugiosi sunt, Debiles, Acutæ Vocis, Glabri, IMBERBES, Effœminati: Eunuchi id manifestant.

Si quis autem Vir & Seminis profundendi abstinens fuerit, Robustus est, Audax, neque vel Feras expauescens: Testimonio sunt ex Athletis Temperantes.

Nam & illi, qui Naturâ quibusdam præstant, ob Intemperantiam Deterioribus multo Peiores sunt. Contra Naturâ Deteriores ex Temperantia Præstantioribus longè Meliores euadunt. Neq; sanè ab alio quopiam quàm à Genitura Robustum Animal generatur. Vitalis itaq; Genitura ad Sanitatem, ad Robur, ad Animi Fortitudinem, & ad Generandum mirificè confert.

M. Antonius Vlmus Patauinus.

Aretæus cum fuerit ætate longè antiquior ipso Galeno, par est credidisse Galenum ab eodem plurima desumpsisse, quę tamen accepta nõ reddidit, cum scripserit consimilia, nisi eadem ipse Galenus, quantum pertinet ad Seminis Vires. Docti satis nouere.

CAPVT

CAPVT SEXTVM.

Medicina est Ars Coniecturalis, & eius quidam Canones.

MEDICINA est Ars Coniecturalis: neq; respondet ei plerunq; non solũ Coniectura, sed etiam Experientia, qui in Artis operibus iam sese diutius exercuit, is hanc Veritatem probè cognoscit, relatam nobis à Cornelio Celso lib. primo suæ Medicinæ.

Quapropter Scitum illud existit, *Vix Vlla Perpetua Præcepta Medicinalis Ars recipit*. Veluti docuere Præceptores ambo Hippocrates, Galenus, quos legite, audite.

Hippocrates Tex. Quadragesimoquinto Libri de Fracturis.

Quòd si alligatis Ferulis suspicio sit, ne ossa rectè Conturrerint, Vel aliud quidpiam hominem infestet, vbi Dimidium Temporis præterierit, Vel paulò ante soluere oportet, & rursus deuincire.

Galeni Commentarium.

Superiora dicta sint, cum omnia rectè procedant. Nãq; vbi sit sensus aliquis Doloris, Vel exulcerationis suspicio, aut Vereamur, ne fractura malè composita sit, aut Casu aliquo interueniente Membrũ motum sit, soluere Vinculum

ante

ante Vigesimum Diem cogimur. Id autẽ definiuit ipsum, ne quis existimet perpetuum esse, quod supra imperauit, Fracturam quamlibet vsque ad Vigesimum diem seruandam esse penitus immobilem. Semper enim pugnare Medicus debet aduersus id, quod magis Vrget, Neq; obligare se Præceptis, tanquam Legi, quam contemnere nefas sit. Quum omnia præter Rationem eueniunt.

Marcus Antonius Vlmus Patauinus.

Hæc omnia dixisse voluimus, quasi præfantes circà ea, quę mox tradituri sumus. Lucubratio hęc pertinet ad cognoscẽdam Temperiem Vteri Muliebris non est Demonstratiua, sed Coniecturalis, innititur enim illis Notis quæ sunt Lubricæ, ac frequenter non respõdent. Nihil scilicet ferè ob vnã causlam fit. Quapropter non est Mirum, si fallax plerunq; Ratiocinatio, nutat. Datur ipsa INAEQVALITAS Conformationis, & adhuc Temperiei, sed neq; solũ Totius Corporis, Veruntamẽ & Partis Vnius. Qui hæc ignorat, is aùt rarò, aut non diù Medicinam exercuit, satagens in obseruatione diligenter, Vos refractarij, audite Galenum Præceptorem.

Galenus Lib. j. de Tuenda Sanit. Cap. 6.

Multos videas, Verbi gratia quibus Caput attemperatũ commodè sit, Thorax, Venterve, & quæ Generando tributæ Partes sunt, Parum Prospera tamen Temperie sint. Non desunt, & quorum vnum aliquod Viscerum, aut alia quæ-

piam Particula vna, Pluresve, interim verò plura aliqua Viscera parum salubri sint Temperamento. Ego verò in Vnica Instrumentalium Partium Intemperiem, idq; in nõ Paucis notaui, ità vt Verbi gratia, Reliqua omnis Ventriculi concauitas vno Temperamento Commodo, Incommodovè esset, alio duntaxat ipsum Ventriculi Os.

Marcus Antonius Vlmus Patauinus.

Quapropter Documentũ elicite, quod tale fuerit. Vteri Temperies non potest conijci ex Cõmunitate Corporis totius (Vtor interim Oratione illius, qui est Auicennam interpretatus) nimirum ex Temperamẽto Partium Principum, sed nec ex Pudẽdo Vteri. Si quidem Vterus potest esse vnius Temperamenti, Pudendum verò alterius, vt hoc ab illo prodeat, quasi Ramus à Stipite. Hoc idem potest esse dissidium in Conformatione, atque vna cũ reliquis partibus, Cheneonibus, Pilis Pubalibus, Lumbis, & si quę relinquuntur alia. Summa Summarum hæc est rata Propositio, quam docet Vsus rerum Magister optimus, & qui in Artibus dominatur.

In vnaquaq; Parte Instrumentaria dari potest Inæqualitas cum Temperationis, tum Conformationis.

Quapropter intererit eius qui legerit acri, circũspecto, moderato, ingenio, quæcunq; à nobis fuere scripta considerare, nec præcipitãter iudicium ferre, vt aliqua repugnare Veritati interdum cognouerit. Proxima est enim Festinationi Pœnitentia. Sed audiatis Hippocratem atq; Galenum.

Hippo-

Hippocr. Lib. 6. Morbor. Vulg. Tex. 25.

Nihil Contemnere, nihil Temerè.

Galeni Commentarium:

Id quidem & ipsum per se dictum, & scriptum, nullo alio ex prædictis, aut ex subsequentibus indiget, vt intelligatur, aut ipsis fides adhibeatur: hoc verò loco omninò appositè ad id, de quo agitur hæc Sententia collocata est. Huiusmodi namq; Præcepta plerisque Exigua, Vilia, nulloq; pretio digna videntur, atq; propterea ab ipsis contemnuntur, vt neq; Ratione, neq; Experientia harum rerum Naturam contemplentur. Quemadmodum verò, quod nihil Despicere oporteat, prædictus sermo Exemplum est, ità etiam quod nihil temere, nihil inconsideratè affirmãdum sit, vt ego ipse in Oratione, quæ ante hanc est, & in alijs omnibus feci. Neq; in Hippoc. solũ scriptis, sed & in alijs omnibus Antiquorum Libris obseruo, vt non Temerè, quæ quisq; ipsorum dixit, Approbem: sed & Experientia, & Ratione Verumnè an falsum sit, quod scripserunt, examino. At qui se vnius Auctoris Doctrinæ, Veluti seruos, aut Libertinos addixerunt, simulatq; ab eo scriptum aliquod inuenerunt, inconsideratè ac temerè credũt, vt in hoc Dicto maximè. In Laborioſis Febribus Aridas Tusses excitari. Neque in quibus Laborioſis id fieret, quæsiuerunt: Numquid ab Fatigationibus, & Externa Vexatione, & an citrà hæc eundem affectum habentibus: neque Vtrum, simpliciter an ex accidenti, Lassitudo ipsis euenerit. Quod verò in his, id etiam in alijs infinitis contingere sciatis; & ipsis qui Libros inscripserunt, & ijs, qui eos interpretati sunt, & adhuc multò magis illis Medicis, qui quotidie in Ciuitatibus Circumcursant, sola Irrationabili Exercita-

tione Vtentes. Multa enim isti, vt Exigua despiciunt, Nescientes Multis interdum Exiguis coniunctis, Vnam ex ipsis Summam haud Contemnendam integrari. Temerèque alicuius Viri scriptis assentiunt, cui ipse seipsum Vnusquisque seruum tradiderit. Sin autem quis id non fecerit, at alio certè modo ei nonnunquã quod primo Imaginationis Caput Verisimile Visum fuerit, absq; longioris Temporis, & per se, & Vnà cum alijs Contemplatione assentiens, Rem Raro Visam, Perinde ac si plerunq;, aut assiduè conspiceretur, Temerè celebrat. Atque Sectarum Dissidia hinc maximè Orta esse Par est, hominibus Sapientiæ Opinionem affectantibus, sibiq; nimium tribuentibus, quæ Verisimilia Visa fuerint, non sæpius Vna cum multis considerata vera esse credentibus; Quemadmodum verò nunc de significatiuo Præcepto exempli loco Sermonem fecimus, ita quoq; in Curatiuis nullum eorum, quæ Pusilla esse videntur, Spernendum est: neq; Temerè atq; inexplorate dictis ipsorum facultatibus credendum, vt in Libris de Methodo curandi præcepimus.

Marcus Antonius Vlmus Patauinus.

Deridendi sunt ergo illi Medici, & Irrationales existimandi, qui audent contemnere Indicia Qualiacunque, Quantulacunque fuerint, deseruientia Cognitioni, vel Curationi, atque Cognitioni cum ipsius Temperiei, tum ipsius quoq; Intemperiei.

Sed quia (Veluti scripsimus) difficillimum est Scitè, Prudenterq; colligere Veram Cõclusionem Coniecturalẽ, præsertim quando non conueniunt Indicia, sed potiùs dissentiunt, arbitramur operæ-

pretium

pretium nos facturos esse, delineantes aliquatenus & crassiori Minerua, quę necessaria existant homini hoc negotium tractaturo. Nam rem ipsam docere penitus (nisi turpiter labimur) pertinet ad Physiologiam Coniecturæ Medicæ, quod Operis iam scripsimus, at non ità breui publicabimus alijs districti negotijs. Cuius Operis conscribendi occasionem detulit mihi Præceptor Pergamenus, qui scripsit *Librum de Coniectura, & Signo*: Veluti aliàs monuimus, & præsertim in Libro à me composito, cuius est Index Titulus. *De Interitu Voluminum Galeni*, quem edemus Typographi quotiescunque me admoneant, huiusmodi namq; Opera, nõ ad Lucubrationes, at ad Meridiationes pertinentia, quæ multam Lectionem, atq; Memoriæ tenacitatem ostendunt, non satis curo. Sed legatis Galeni dictum.

Galen. Comment primo. Tex. 2. in Hippoc. De Ratione Victus.

Τέκμασις est, quæ per τεκμήριον fit Cognitio. Τεκμήριον autem appellant Veteres Syllogisticum signum, non autem Simpliciter Signum omne, vt in Opere, De Coniectura, & Signo est Demonstratum.

Marcus Antonius Vlmus Patauinus.

Principio quicunq; voluerit Scitè, Prudenterq; Cõijcere (est autem Coniectura Manus altera, & Oculus Medicæ Facultatis) oportet illum cognoscere

scere sigillatim, & penitus, *Quæ sint? Quot existant? Quomodo Indicent? Prætereà & Quatenus?* Isthæc omnia oportet in promptu esse Medico, quæ noscat Veluti Vngues, digitosq; suos: Cuiusmodi Cognitio non ita est difficilis, Veluti quæ subsequitur altera. Hæc autem pertinet ad ipsa iam enarrata Indicia, sed non considerata sigillatim, separatim nimirum, atque Simpliciter, quod Scholę dicerent in sese, at cum respectu, & relatione ad se inuicem, Comparatiuè scilicet. Hoc est Opus præter cætera Præcipuum Dignitate, Fine, cæteris omnibus præponendum, quo sublato Fortuna, non Arte, Empyricus, non autem Rationalis fueris Medicus. Huc nisi fallor Senex Præceptor Scitè, Catè respiciebat inquiens: *Iudicium Difficile*. Quam Dotem nemo assequetur, nisi & Artem Vniuersam probe calleat, & eãdem, nauiter, diuq; exercuerit. Postremò autem omnia & singula ritè obseruata Memoriæ mandauerit. Hic enim est omnium Artium, Facultatum, Scientiarum Thesaurus Memoria.

Cognoscere autem Indicia ipsa cum sigillatim, tũ & inuicem Comparata oportere, propter eruendã Cognitionem Temperiei, argumento sit, quod in ipsa legendi actione comparanda, & consequenda contingit. Nemò quippè ignorat primò sigillatim cognoscere necessarium esse singula quæq; Elementa, mox illa simul componenda in syllabas, demum & Dictiones, postremò Orationem. Ex cuiusmodi interstinctione Elementorum, sed & combinatione eorũdem facta diù, & vsurpata sensim contrahitur habitus legendi præceps, & Vix

præmeditationis Vestigio factus. Non secus euenit in Iudicio ferendo Temperierum ex ipsis Notis, quarum longo tempore cognitarum, obseruatarũ, Scitè Prudenter animaduersarum,& Memorię inhæreſcentiũ ſubſidio, & ope ſenſim inoleſcit Habitus,qui Vulgo dicitur Conſuetudo, ſtatim iudicandi illud,quod ex Notis indicatur. Aeſtimatio namque illa earũdem Notarum inuicem Comparatarũ, dum Vires penduntur iuxta Momenta ſingula ferè tempore indiuiſibili peragitur, cum omnis Facultas Interior in operatione ſua exercenda ſit celerior facultate qualibet Exteriori, non ſecus ac omnis Facultas Superior & Nobilior breuiori temporis decurſu Opus proprium peragit, quàm reliquę Facultates inferiores,& Ignobiliores. Omnia enim Nobilia ſeparant ſeſe à Tempore quantum poſſunt, tantùm autem poſſunt,quantum Dignitate præſtant. Sed hæc ſunt alterius negotij.
Redeat iã Oratio,vnde fuit digreſſa,ſubijciamuſq; Memoriæ proximè narrata. Non eſt enim Inutile ipſa Vtilia repetere. Indicia omnia & ſigillatim cognoſcere,& inuicem collata oportet. Nam tãtum abeſt vt ex vna vel altera Nota (dummodo earum ſit multitudo)colligere nobis liceat Partis Temperiem, vt aliquandò (pluribus etiam Notis idem ſignificantibus) incertum exiſtat, neq; ſatis firmum cenſeatur Docto, Prudentiq; Ingenio deducere Cõcluſionem. Abierint ergo in Syluas,aut ad Raſtra, qui damnare audeant ſcripturam noſtram, ſi vna vel altera Notarum non reſpondeat. Audite Galenum.

Gal.

Gal. Cap. vlt. De Plenitudine.

Sed mox an solius sanguinis sit, an verò alterius humoris illis intermixti in vniuersi Corporis colore discernendum erit, vel etiam ex alijs Symptomatibus quæ nuper recensuimus, nempè quæ de Somno & Vigilia diximus: deq; Cibi Appetentia & eius defectu: & de alijs præterea, quæ à nobis modo relata sunt.

Insuper & ex Priori Victus ratione, ab Exercitationibus, & ijs quæ ægrotanti accidere consueuere, necnon & ex Anni Tempore, Regioneq; & Naturali Corporis tum Densitate, tum Raritate. Sic enim præstiterit potius ex omnibus Fidem dignotioni desumere, quam ex vno tantum vel duobus, cum probe nouerimus, quod hoc ipsum in hac arte ex Coniectura plurima deprompsit, Vniuersa inquam Artis Pars, quæ DIGNOTRIX est, & non solùm ea, quæ in Dignoscenda Plenitudine, aut Cacochimia versatur, de qua nunc nos disquirere instituimus.

Marcus Antonius Vlmus Patauinus.

Animaduertas quomodo Galenus censet instituendam esse Dignotionem Humorum Corpori nostro inexistentium. Scilicet consulere oportet figillatim, Fontes omnes illos, Vnde Humores Ortus Causſam sui possunt deducere, deriuare. Negat ex vno, vel altero Indicio, nisi & reliqua cognoscãtur, licere cuiquam colligere Prędicatum Conclusionis, vel Conclusionem ipsam Coniectoriam, quod & alibi docuit. Vos legite.

Galenus

Galenus Lib. 2. de Temperamentis.

Ad hunc modum de Temperamentis ineunda nobis Consideratio est, Quamque scilicet Particulam Seorsim Perpendentibus, nec ausis ex Vna pronunciare de omnibus. Quod vtiq; nonnulli fecerunt, qui Resimos, humidos: Aduncos, siccos esse dixerunt. Et quibus parui sunt oculi, siccos: Quibus Magni, Humidos, &c. Scribit verò paulò inferius.

Sed videre licet Totius Corporis Habitum & Mollẽ, & Pinguem, & Album, & Carnosum, cui tamẽ oculi sunt Parui, & Nasus Acutus. Rursus Siccum, Macilentum, Nigrum, & Hirsutum, vbi Magni sunt oculi, & Nasus Resimus. Præstat igitur siquidem de solo agitur Naso, vt ex eo Resimo Humiditatem: Ex eo adunco siccitatem coniectes: Nec de Totius Animantis Temperie ex his Particulis Pronunties.

Marcus Antonius Vlmus Patauinus.

Omninò si quicquam polles ingenio eiusdem Vires promoueris, noueris ex superiori Galenica Oratione per Analogiam argumentari, atque deducere Prçceptum Consimile in æstimanda Temperie Partis Vnius ex eiusdem notis. Quemadmodum enim nos colligimus Temperiem Corporis Vniuersi ex Temperie Partium, Vnde ipsum Totũ consurgit: A pari nos etiam colligimus Tẽperiem singularis cuiusque Partis ex Indicijs, eidem peculiaribus. Quapropter sicuti nõ licet ex Vnius Par-

tis Temperamento concludere Totius Corporis Temperamentum: omninò neq; licuerit, ex Vno Indicio concludere Temperiem cuiuslibet Partis. At quî agendum sit? *Numerum*, *Dignitatem*, *Ordinem* Indiciorum oportet cognoscere, Eadem inuicem conferre. Sanè istud necesse est, Veruntamen hæc præscribere, docere, pertinet ad Physiologiam Coniecturæ Medicæ, non autem ad præsens institutum, quod supponit Virũ in Artis operibus iam diù exercitatum, aut sanè prouectum eatenus Ingenium, vt absq; subsidio Corticis nare valeat. Sed nõ expectetis, neque expetatis ab Opere Physiologico Medicæ Coniecturæ Minutatim descripta quęcunq; fuerint Peragenda; Canones duntaxat Vobis dabuntur, quibus Vtentes Valeatis dirigere, dimetiri, Operationes Vestras. Et doctissimè scripsit Præceptor Iunior.

Aristoteles Lib. 2. Etich. Cap. 2.

Illud autem antea confiteamur oportet, omnem Sermonem qui est de rebus agendis, Figura, & non exacte fieri debere, quemadmodum & ab initio diximus: Rationes, inquam, vt Materia postulat, semper esse efflagitandas. Actiones autem, & ea, quæ Prosunt, nullam habent Stabilitatem, quemadmodum nec Salubria ipsa. Atq; cum talis sit sermo Vniuersalis, multo minus is sermo Certitudinis habet, Qui de Singularibus est. Nam neq; sub Artem, neq; sub Præceptionem Vllam cadunt. Sed oportet ipsos agentes ea semper considerare, quæ ad Tempus accommodantur,

dantur, quemadmodum & in Medicina fit, & in Gubernandi etiam Arte. Idem alibi scripsit.

Aristoteles Lib. 2. Ethic. Cap. Vltimo.

Qui parùm à Recto exorbitat, nõ carpitur, siue ad Defectum, siue ad Exuperationem se flectat: Qui verò, Multum, Vituperatur: Non enim latet egressus. Facilè autem non est excipere Ratione Quousque, & Quantum à Recto quispiam egressus carpendus est. Neq; enim aliud quicquã Sensibilium determinari facilè potest. Talia verò in singulis sunt, & Iudicium est in sensu.

M. Antonius Vlmus Patauinus.

Vanum est itaq; expectare, atque expetere Doctrinam singularem, Definitam eorum, quæ pertinent ad Sensum. Imò non est Philosophus qui non cognouit Veritatẽ huius propositionis, quam ego diutina collegi obseruatione.

Oratio non satisfacit penitus vel Sensui, vel Intellectui.

Nemo quisquam Mortaliũ (homo ego loquor humanè) sufficiet vnquam, penitus explicãdo quę Sensus Sentit, quæ Intellectus Intelligit. Non hoc aio, & volo, vt Oratio referat prorsus effectu Operationes istarum Facultatum, sed aio ab ipso Sensu, & Intellectu sentiri, Intelligi aliquid Vlterius adeò promotũ, cui narrando non æquipollet Oratio, Sermo, loquutio. Illud Sensus cognouit Phauorinus Philosophus, quando ait, apud Agellium

Plus est in Sensu quam in Sermone. Veruntamen & alij percepêre. Hoc autem legi apud Plotinum Præceptorem, at non Simpliciter Idem, sed ipsum audiatis.

Plotin. Enneidæ 5. Lib. 5. Cap. 6.

Ridiculum est complecti moliri immensam illam Naturam. (Loquitur de Prima Caussa, quod est omni Ente superius) Quisquis autem id molitur seipsum vel à minimo quoq; illius Vestigio procul admodum amouet: Profectò quemadmodum cognoscere Naturam Intelligibilem cupiens, tunc demum cognoscet quod est super sensibile Genus, quãdo nullam prorsus rei sentiendæ tenebit imaginẽ.

Sic etiam qui Naturam Intelligibili Natura superiorẽ contemplari desiderat, si modo Intelligendum omne dimiserit, contemplabitur per hoc inquam discens illam existere. Qualis verò sit omninò dimittens.

Marcus Antonius Vlmus Patauinus:

Sanè vbi deficiat Intellectus, vel non sufficiat in ipso Intelligendi munere, cognoscens dumtaxat Intelligibile quoq; dari, at Inintelligibile. Et hæc est Nota quãtum ego sentio Philosophi Optimi. Quid mirum si dixerimus deficere, aut non satisfacere ipsam Orationem ipsi Intellectui, nedum sensui, quod & ab eodem nihilominus Plotino habebitis legentes Vlterius.

Plotinus

Plotinus eodem prorsus Loco.

Hoc ipsum Verò, quod dicitur Quale, significat reuera non Quale. Cui enim non inest quod dicere Quid consueuimus, nec cõuenit etiam Quod Quale appellare solemus. At nos nostris quasi cuiusdam Parturientis Angustijs laborantes. Quid potissimum dicere Deceat, ignoramus, & de illo, quod dici non potest, dicimus, atque nominamus, Significare aliquid nobis ipsis, quoad possumus, affectantes. Forsan verò & Nomen hoc quod dicitur Vnum, per respectum quendam ad Multa Negationem, Eleuationem q; significat. Quapropter Pythagorici quoq; Apollinem Secretiori quadam significatione inter se nominabant, ipsa scilicet Negatione Multorum.

Si autem Nomen hoc, Vnum significatione sua ponat aliquid, & affirmet, tum Nomen, tum etiam Nominatum erit Obscurius quam si quis Nomen illius esse minimè dixerit. Nam fortè Nomen id dictum est, vt Indagator exordiens ab eo, Quod maximè omnium significare potest simplicitatem, eò tãdem perueniat, vt hoc ipsum præterea neget, quasi quanto melius à Nominante poni potuit, impositum fuerit: Neque tamen hoc dignum sit, quo Natura illa significetur. Nempè illud Auditu attingi non potest, neq; ab Audiente Vllo potest intelligi: Sed (si cui patere potest) occurrit potius Intuenti.

Marcus Antonius Vlmus Patauinus.

Sanè hîc nunc Stylo temperare non possum, quin Plotinum Præceptorem meum prædicem, &

Ingenio-

Ingeniorum Oceanum, & absq; exemplo genitũ, cum de Cognitione eius *Qui est*, hæc adeò pronunciarit nobilissima Auro, Cedroq; digna. Et quia dixit VNVM à Nullo posse intelligi, sed occurrere potiùs intuenti. Vt sciam digressum fuisse me longius à Proposito nostro, haud tamẽ pigebit referre eiusdem Præceptoris Verba Verè diuina, quę in Enneade iam relata scripsit.

Plotinus Lib. 3. Cap. Vlt. Enneados 5:

At in eò quod Simplex est omninò, nullus potest esse discursus. Sufficit autem modo quodam Intellectuali illud attingere. Oportetq; attingentem ipsum dum attingit omninò neque posse quicquam Loqui, neque otium habere dicendi, sed posterius de ipso ratiocinari. Credendum verò est, tunc demum nos Vidisse illud, Quando animus repente Lumen acceperit. Hoc enim, hoc inquam Lumen ab ipso Bono manat, hoc est ipsum Bonum. Tunc certè putãdum est id nobis adesse, quando tanquam DEVS Alius, inuocante aliquo, Domum intrans prorsus illuminat: alioquin nisi intrauerit, non illuminat. Sic itaq; Anima Vacua Lumine est, & Vacua Deo: Illuminata Verò habet iam, tota quod mente petebat. Hic certè, hic est Finis Animo Verus, Lumen scilicet accipere illius, & Ipsum Ipso perspicere, non Alterius inquam Lumine cõtueri, sed per ipsum: t aspicere. Quod & suspicit. Per quod enim illuminatus est, idipsum est nobis perspiciendum. Neque enim Solem per Lumẽ Alienum intueri solemus. Verum si quæras, quâ id ratione consequi possis, omnia prorsus è medio tolle.

Marcus

Marcus Antonius Vlmus Patauinus.

Finis Hominis est Cognitio Dei: DEI Cognitio est ipsiusmet DEI Largitio, ipse enim liberaliter sese Manifestat nobis, & ad eũdem accedimus, dum à nobis ipsis recedimus. Modo si quem pertæsum est hæc delibasse digredientes nos, tandiù ab instituta Oratione, consulat rei Dignitatẽ, Epysodia futilia perplura suis in operibus à Galeno relata, quę dicta mihi non fuerint illum damnandi causâ, sed ineptos istos Orbilios Galenicos, vt aliqua ex parte commonefacerem, qui supinè anteponunt Satagendis Negligenda: Valeant. Modo in Viam redeũtes diximus tradi equidem posse Canones Coniecturę Medicæ, Indiciorumq; ipsius, at singularem figillatim narrare non licere. Non satisfacit quippè Oratio ipsi Sensui, cum sit Plus in ipso Sensu, quam in Oratione. Quapropter scripsit Pręceptor Iunior in hanc Sententiam.

Aristoteles Lib. 2. Politicorum. Cap. 7.

Vt enim in alijs Artibus, sic etiam circà ciuilem Constitutionem impossibile est singula ad minimum Vsq; scriptis comprehendere. Necesse est enim vt Generaliter scribantur. At illa quæ aguntur particularia sunt.

Marcus Antonius Vlmus Patauinus.

Hinc est quod Artes, quæ versantur circa Singularia, vt Medicina præsertim, Militaris Nauigatoria,

ria, exactè scribi nequeant. Quapropter, si quid sentio, Vix, aut nunquam plenè addiscuntur. Quinimò in huiusmodi Artib qui dominatur est Vlus & Experientia, neq; est Vlla disciplina in qua non peccando discatur. Nam vbi quid perperam administratum cesserit improsperè, Vitatur quod fefellerat, illuminatq; Rectam Viam Docētis Magisteriuin. Propterea scripsit Aristoteles.

Aristot. Lib. Vlt. Ethic. Cap. Vlt.

Neque Medici ex Libris fiunt. & tamen dicere conantur, non solum Curationes, sed etiam Aegrotantes curari posse, & Vt curare oportet, Habitu Vniuscuiusque distincto &c.

Singularia sigillatim ab Autoribus tradi nō posse indicauit etiam Gal. Prçceptor, quando scripsit.

Galenus Comment. 2. in Librum Hippocr. De Ratione Victus. Tex. Com. 36.

Verùm quemadmodum ad Speciei Victus Inuētionem, operæpretium est, vt cognoscas, An Robusta vel Infirma sit laborantis Facultas: Quot item diebus Morbi Coctio futura sit? Sic & considerandum Quantum vel Robusta, vel imbecilla fuerit, nempè in Virtutis tum Robore, tum Imbecillitate Magis, & Minus Valdè discrepant.
Sic Morbi quoq; differētias conijcere oportet. Neq; enim Satis est cognoscere, quod Pleuritis, vel Peripneumonia sit, sed & Qualis nam ea sit cognoscere oportet, in Dolore, Febre, & Sputis. Nempè Pleuritidum, quæ cum Dolore

sunt,

sunt, Aliæ quidem Magis aliæ verò Minus Tales existūt: Febremq; Vehementem habent tum Magis tum Minus Pleuritides Particulares. Sed non Parua quoq; est in ijs, quæ expuuntur Differentia, vt in Prognostico est dictum. Cum igitur Particulatim in dictis Differentijs Varient ægri, fieri nequit, vt in Empyricorum appellatis Syndromis reperiatur Disciplina. Neq; enim eorum qui in Virtute comperiuntur, Excessum Differentiæ scribi possunt: Neq; Febris vehementia: Neque sputorum Quantitas: neq; in Particularibus Coloribus, Dissimilibusq; Eductionibus Magis atq; Minus. Verum cuiusq; rei Virtute intellecta, omnes inter se comparare, Summamq; vnam ex ipsis colligere oportet.

Marcus Antonius Vlmus Patauinus.

Caligat in ipsa illustri Meridie quicunque non intelligit instituendam esse Doctrinam Coniecturæ artificiosæ hoc pacto. Nimirum seorsim prius Notas, Indiciavè cognoscere, mox illa eadē simul componere: postremò diducere, colligere summā, scilicet Conclusionem ipsam, & Iudicare tandem, ferreq; Sententiā, quod est Negotium difficillimū, & sacerrimè Arduum in ipsa Medicina faciunda.

Duo itaque sunt Præcipua, & sint Principia in Re Medica facienda, quantum pertinet ad Inuestigationem ipsius Temperamenti, quæ non pigebit referre, præsertim occasione cuiusdam erroris in excudendo, qui interuênit.

Primùm oportet colligere Cōclusionem Coniectoriam, Non ex Vno Inditio, at ex Pluribus, nisi Omnibus. Vnum autem Indicium non sufficere

ad Indicandam Temperiem, vel Totius, vel Partis, vt sit ex Conformatione, aut alio desumptum modo, satis patet ex dictis hucusq; : Hanc tamen Veritatem vt cognoscatis apertius, legite, audite.

Albertus Alemanus, vel quemadmodum Vulgo fertur, Magnus lib. 9. de Animalibus, Tract. 1. Cap. j. cuius est Rubrica.

Quando primum incipit descendere Semen ad Inguina.

Adhuc autem differens est in annis Pubertatis Elcuatio, & Tumor Mammillarum in Puellis, Quoniam quædam earum acquirunt Mãmillas Magnas valdè, & quædam Paruas, & Paucæ inueniũtur, quæ etiã NVLLAS habent, nisi sicut Viri. Talis enim est inuenta Fœmina apud nos in Ciuitate Vangionum, quæ nunc Vuormatia *vocatur, quæ tamen Plures enixa est Infantes, & aliquando tres simul enixa est Gemellos.*

Alterum est, oportere simul Indicia, vbi dissentiant, Comparare, Comparataq; demum Iudicare nouisse, quod est maximè Arduum in Arte Medica, & Periculosum, nõ secus atq; infames Scopuli Acroceraũnia: & Iudicare in Medicina perinde est, atque inter Scyllam, & Charybdim nauigare. Sitne Maximum Rectè Iudicare, legatis, audiatis Præceptorem Iuniorem.

Aristot. Lib. Vlt. Ethic. Cap. Vltimo.

Selectio est Sagacitatis, & Iudicare Recte est Maximum, vt in Musicis. Qui namque sunt in singulis Experti,

perti, Rectè opera iudicant: & Quibus aut Quomodo perficiuntur, & quæ sunt his consona cõprehendunt. Inexpertis autem satis est, si non lateat ipsos Benè, an Male factum sit Opus, vt in Pictura.

Marcus Antonius Vlmus Patauinus.

Rotũdum itaq; Vegetumq; sit Ingenium, quod Iudicio ferendo sit aptum in ipsa Facultate Medica Arte Coniectoria. Parergon fuat sciolis homuncionibus, qui adhuc Manum Ferulę non subduxere, vt sint Suggestiscientes non pertinere ad illos meorum Operum Censurã. Suppudeat illos, modo quicquam Frontis obtineant, hæc iudicare Velle scripta, quæ legere forsitan quidem Valuerint, sed Vix intelligere potuerint. Neque obijciant nobis eosdem ab ipsis libros possideri, sed & legi, qui mihi leguntur & possidentur. Audiant, Audiant Galenum, sed prius nouerint, Non quicunq; legit, is protinus intelligit, neq; si Valet ad intelligẽdum illico Valet ad iudicandum. Qui vult proficere in Scientijs, Artibus, & Facultatibus, oportet illum & legisse, & intellexisse, & Iudicasse, & Meminisse, aut Reminiscí posse. Nisi Vigeat his dotibus Ingenium promouere fortassis potuerit aliquatenus, Veruntamen non equidem Longius. At legite.

Galen. Comm. secundo in Librum Hippoc. De Ratione Victus. Tex. Com. 36.

Qua quidem in Re (loquitur Galenus de colligenda Summa ex Notis Morborum, breuiter de Subducenda ex

illis Coniectura Artificiosa) tum Meliores, tum deteriores reperiuntur Medici, quamquam eadem dedicerint.

Sed quinam existunt aptissimi? Prosequitur Galenus, Vos legite, audite.

Nempè qui perspicaci magis pollēt Ratiocinio, ijs qui hebetius habent, euadunt Probatiores. Laboris item Amantiores Segnioribus, Exercitatioresq; minus exercitatis: Atq; qui Memoriam tenaciorem habent, ijs qui minus ea Valent.

Galen. Tex. Com. 37. eiusdem Libri.

Quoniam Victus cuiusq; species ex ijs, quæ antea dixit inuenitur: atq; inde, quæ in ante scripta dictione dicuntur, Conijcere operæpretium sit, vt in Singulis Victus formis, Quantitas reperiatur: præsenti Dictione, Ciborum autem Adiectioni intendendum multò minus: Nam prorsus subtrahere, sæpenumerò expedit, cognoscens Præsidiorum singulorum Quantitatem Artificiosa egere Coniectura. Artificiosè autem Conijcere Viri esse, qui Vires omnium, quæ in Arte sunt, didicerit, Memoriæ mandauerit: atque diligentia omni adhibita se in operibus Artis exercuerit. Paucosq; Tales existere.

Marcus Antonius Vlmus Patauinus.

An est cuiusuis Ingenij nimirum Popularis tractare Medicinā, quæ Ars est Individua respiciens, omninò Coniecturalis, propterea Lubrica, Incerta, Fallax, Immensa? Sed legite, audite Præceptorem Seniorem.

Hippo-

Hippocrates Lib. de Fracturis, Tex. 6.

Certum tamen nihil est (loquebatur de corroboratione ossis tubiti, scilicet de Callo, Quarto nempe die essa hac fracta insimul coalescant Naturâ). Nam & Natura à Natura, & Aetas ab Aetate Valdè differt.

Quod Agnoscens Cornelius Celsus lib. primo suę Medicinę in Proœmio in hanc scripsit Sententiam.

Quin etiam Morborum in ijsdem hominibus Aliæ atque aliæ Proprietates sunt: & qui Secundis aliquando frustra curatus est, Contrarijs sæpe restituitur. Plurimaq; in dando cibo Discrimina reperiuntur, ex quibus contentus Vno ero. Nam famem facilius fert Adolescens quam Puer: Facilius Vno cibo, quam Prandio quoque assuetus: Facilius inexercitatus, quam exercitatus homo sustinet. Sæpè autem in eo magis Necessaria cibi Festinatio est, qui Minus Inediam tolerat. Ob quæ competit eum, qui Propria non nouit, Communia tantum intueri debere, Eumq; qui nosse Propria potest, illa quidem non oportere negligere, sed his quoq; insistere. Ideoq; cum Par Scientia sit, Vtiliorem tamen Medicum esse Amicum quàm Extraneum.

Marcus Antonius Vlmus Patauinus.

Oportet itaque nauiter sese Medicum exercere in Proprietatibus Indiuiduorum Cognoscendis, atque eorundem Accidentibus Vltimis obseruandis,

dis, qui plerumq; ſunt Duces ad Myſteria ſingularium cognoſcenda vel conijciẽda, Sanè Docti intelligunt qui Affectiones ipſas nouere. Interim nõ libet neque licet, niſi inopportunè plenius meam indicare Sententiam. Veruntamen iuxta illud Vulgatum. Sapienti Pauca. Mitte Sapientem, & Nihil dixeris. Conſtat itaque ex Superioribus, quam Doctè ſcripſerit Ioannes Michael Sauon. Patau.

Ioannes Michael Sauonarola Patauinus Lib. 2. De Balneis. Cap. 17.

Et eſt ſimile Indicium hoc Indicio, quod ex ſignis Medicinalibus accipitur. Nam cum Signa Medicorum, ſic Efficacia, & non Fallentia non inuenĩatur: ſed Notitiam ſunt dantia Veritati Propinqua, hinc ſurgit Iudiciũ Aeſtimatiuum. Quare diuerſi cum diuerſitate Extimatiuæ de occurrentibus Aegritudinibus, & Caſibus Diuerſa deponunt Iudicia.

Marcus Antonius Vlmus Patauinus.

Hæc eſt Radix Phyſica diſſentientium Opinionum, quas experimur in Medicorum Cõſultationibus ferè ſemper diſſentientibus, rarò autem conſentientibus. Quapropter malè audit Ars Medica non equidem ſimpliciter, at apud Idiotas, qui ſua Decempeda reliquorum Ingenia forſan dimetientes, arbitrantur hoc ab iniquitate Medicorum, vel ab ipſa Artis Vanitate, pueriliter admodum Cenſentes prouenire.

Nec

Nec satis mirari possum & Catonem & Plinium Præstantissimos alioquin Viros in Artem hãc, Rerum Naturæ cognitioni proximam, & consanguineam adeò intemperanter fuisse debachatos.

Marcus Cato.

Dicam de istis Græcis suo loco Marce Fili, quid Athenis exquisitum habeam, & quod bonum sit eorum litteras inspicere nõ perdiscere Vincam nequissimum, & Indocile Genus illorum, & hoc puta Vatem dixisse. Quandocunq; ista Gens suas litteràs dabit, omnia corrumpet. Tum etiam magis si Medicos suos huc mittet. Iurarunt inter se Barbaros necare omnes Medicinâ. Sed hoc ipsum Meridie facrunt, vt Fides ijs sit, & facile disperdant. Nos quoque dictitant Barbaros, & spurcius nos quam alios Opicos appellatione fædant.

Plinius dixit, subiungens illicò:

Plinius Lib. 29. Histor. Cap. primo.

Atq; hic Cato. DCV. Vrbis nostræ obijt LXXXV. suo ne quis illi defuisse publicè Tempora, aut priuatim Vitæ spacia ad Experiendum arbitretur. Quid ergo? damnatam ab eo Rem Vtilissimam credimus? Minimè Herculè. Subijcit enim Qua Medicina, & se & Coniugem Vsque ad longam senectam perduxerit, ijs ipsis scilicet, quæ nunc nos tractamus. Profiteturq; esse Commentarius sibi, quo Medeatur Filio, Seruis Familiaribus, quem nos per Genera Vsus sui Differimus. Non rem Antiqui damnabant, sed Artem. Maximè Verò Quæstum esse immani pretio Vitæ recusabant.

Marcus

Marcus Antonius Vlmus Patauinus:

Contra Ego Credo potiùs damnari Homines, quam Artem, vel Condemnari eiuſdem Superſtitionem. An ſit Rerum Medicarum Vſus Arte ſublata? Legant ſed intelligãt Hippoc. Contumaces.

Hippocrates Libro de Arte Tex. 5.

Dicet ſanè hic Aduerſarius, quod multi iam ægri etiam Citrà Medicorum Vſum ſint ſanati: & Ego id dicentibus Credo.

Videtur autem mihi omninò fieri potuiſſe, vt & quis Medicis non Vſi ſunt in Medicinam inciderint, non tamen vt ſcierint, Quod in ipſa Rectum fuerit, & Quod nõ Rectum: alioquin contigiſſet, vt ſeipſos eodem penitus modo curaſſent, quo curati fuiſſent, ſi Medicos adhibuiſſent.

Ex Capit. Septimo, vel Contextu ait idem Hippocrates.

Quæ enim profuerunt, ob rectum Vſum profuerunt: Quæ verò nocuerunt, ob id quod non rectè Vſurpata ſunt, nocuerunt. Atqui Vbi Rectum & Non Rectum. Vtrumq; ſuum finem habet, quomodo quis hoc Artem eſſe neget? Hoc enim ego Artis expers eſſe dico, vbi neq; Rectum, neque non Rectum aliquid exiſtit. Vbi verò Vtrumq; horũ ineſt, Quomodo hoc non Artis opus, ſed potius Inartificialitatis exiſtat?

Marcus

Marcus Antonius Vlmus Patauinus.

Marcus itaq; Cato non potuit Artem damnare quin damnaret & Rem; neque probare eidem licuit Rẽ, nisi & Artẽ probaret: Hallucinatus, itaq; est Plinius, nisi ego Hallucinor, vel malè senserit Cato, quandò opinaretur dari Medicamenta non autem eorundem Vsurpandorum Artem. Quidquid sit aut Cato, aut Plin. (Veluti Videre Videor) aberrauerit. Non est damnanda Medicina, sed Medicus eâdem abutens. Atque si damnanda est Medicina, Ambitiosa condemnetur, exibiletur, non autem quæ Proba, quæ Ingenua, quæ Liberalis existit.

Haud nego isthæc Vera esse ab eodem relata.

Plinius Lib. 29. Histor. Cap. j.

Ac minus credunt quæ ad Salutem suam pertinent, si intelligunt. Itaque Herculè in hac Artium sola euenit, vt cuicunq; Medicum se professo statim credatur, cum sit periculum in nullo Mendacio Maius. Non tamen illud intuemur: adeò blanda est sperandi pro se cuiq; Dulcedo.

Vidit hoc Præceptor Senior, itaq; scripsit.

Medicina omnium Artium Præclarissima est: Verùm propter Ignorantiam eorum qui eam exercent, & ob Vulgi ruditatem, quod tales pro Medicis iudicat, & habet, iam eò Res deuenit, vt omnium Artium longe Vilissima censeatur. At verò hoc peccatũ ob hanc potissimùm Caussam mihi committi Videtur. Soli namq; Medicinæ nulla

Pœna in Rebus Publicis ſtatuta eſt, præterquam Ignominiæ: Verum hæc ipſa non afficit, neq; contingit eos, qui ex Compoſito Perſonam ipſius induerunt: Simillimi enim huiuſmodi Medici ſunt Perſonis, quæ in Tragœdijs introducuntur. Quemadmodum enim illi Figuram quidem, & Habitum, ac Perſonam eorum, quos referunt, habent, illi ipſi autem verè non ſunt: ſic & MEDICI FAMA quidem, & NOMINE MVLTI, RE autem, & OPERE valdè PAVCI.

Marcus Antonius Vlmus Patauinus.

Quicũq;, ratione probè ſubducta, ſingulas quaſque ætates conſulere voluerit, nę is cognouerit Pictos, & Fictos Medicos perplures viguiſſe, Veros autem, ac Synceros aliquos etiam in tenebris latuiſſe. Sed quorſum admiratio? Quando Idiotæ de Medicis iudicium ferant, ac Vulgus, cuius propriũ eſt nihil intelligere. Medicorum Pictorum, Fictorum vitio contingit, ſed & ignaui, ignari Popelli cauſsâ contingit, vt Ars Medica Bona malè audiat. In iſtorum homuncionũ Verſutiam, Iniquitatem referri debent aliquando, quæ ſcripſit Plinius.

Plinius Lib. 29. Hiſtor. Cap. j.

Ned dubium eſt, omnes iſtos Famam Nouitate aliqua aucupantes, Animas ſtatim noſtras negociari. Hinc illæ circà Aegros Miſeræ ſententiarum Concertationes, Nullo idem cenſente, ne videatur acceſſio alterius. Hinc illa infelicis Monumenti Inſcriptio, Turba ſe Medicorũ periſſe.

Marcus

M. Antonius Vlmus Patauinus.

Cuius Monumenti illa fuisset Inscriptio, sanè ignoro, istud equidem noui à Xiphilino ex Dione relatum.

Ioannes Xiphilinus ex Dione Niceo In Vita Adriani Imperatoris.

Adrianus tandem contempta Diæta, vsuq; Cibo, & Potu minus idoneo, mortuus est, morienq; exclamauit illud peruulgatum.

Πολλοὶ ἰατροὶ βασιλεα ἀπωλεσαν

Multi Medici Regem sustulerunt.

Non ignoro, inquam, repeto Causlam Dissidij Medicorum in Consultationibus plerunq; Nequitiam, & Malitiam esse posse: qui legerim apud ipsum Democritum huiusmodi Sententiam, referam vniuersam, licet pars satisfaciat.

Democritus Abderites.

Valde timeo, neq; Medicinam tuam ipsis placere. Nam præ Intemperantia Omnia ipsis displicent, & Insaniam Sapientiam putant: profectò suspicor pleraq; in Scientia tua palàm Contumelia adfici, aut propter Inuidiam, aut propter Ingratitudinem. Aegrotantes enim simul vt seruantur, Caussam Dijs, aut Fortunæ attribuunt. Plerique verò Suæ Naturæ id adscribẽtes, Benefactorem Odio habẽt,

& parum abest, vt indignè ferant, si Debitores esse putantur.

Sed & plerique Artis ignorantiam in seipsis habentes, & Imperiti existentes id, quod Melius est, purgant. Inter Stupidos enim fiunt Suffragia, & neq; Aegroti attestari volunt. Neque eiusdem Artis Artifices Testimonium præbere, Inuidia enim obstat. Non autem Inexpertus es tu Talium Nugarum: imò probè scio, ob hoc te sæpè in Memorabilibus adflictionibus accersitum fuisse, & neque Caussam, aut Inuidiam libenter deriisse. Veritatis enim neque Cognitio vlla est, neque vllum Testimonium.

Marcus Antonius Vlmus Patauinus.

Atq; sanè (ego nisi insanio) rectissimè scripsisse arbitror, Homines enim non ad Honores, vt prius, verùm ad Pericula Virtute perueniunt.

PERORATIO.

CAeterùm nimis fortasse Calamo excurrimus. Vos, qui hęc Philosophico Ingenio legitis, & dijudicare potestis, mementote illud à Viro doctissimo pronuntiatum.

Synesius Libro de Somnijs. Cap. xij.

In Omnibus consequi Vera: Vel paululum aberrare: Diuinum est, Aut propè Diuinum.

Homo es, tu, qui Hominem iudicas: Aequanimitas ferè semper laudatur: Seueritas autem ipsa plerunq;

plerunq; improbatur. Dabo etiam (si..... fauerint) Expositiones huiusce Scripturæ, atq; breui, Deo interim Creatori Gratias, quas possumus & maximis Maiores, ac Deiparę semper Virgini Mariæ agentes.

Viue Liber, Liberq; vige; sed si qua nocebunt,
Disce Libens Liuore nihil sublimius esse.
Cum tibi mordaces obliquent læua Cachinnos
Murmura. Cũ cupiant Linguis lacerare Prophanis,
Sis vtinam Inuidia dignus, quæ Summa lacessit,
Quam pascit præsens, extremaq; terminat Aetas.
Vni sat fuerit soli placuisse CAMILLO,
Heroum Iubari, Clypeus qui noxia Magnus
Cuncta proteruorum venientia Tela retundat.
Cui soli placuisse stude, cui pectore totum
Me veluti voueo, carum recoloq; Patronum,
Tu quoq; mi semper fecisse Libelle memento.

Hactenus pro mediocritate, seu modulo Ingenioli mei difficillimis occupationib. angustijs præterea & impeditus, & oppugnatus Historiam hãc Inditiorum, quæ pertinent ad Coniecturam Temperamenti Naturalium Fœminarum, stilo separato Primus illustrare tentaui, Dabo quoque propediem Historiam Indiciorum, pertinentium ad significanda Temperamenta Partium Genitalium ipsius Viri, cuius Commentationis Hęc erit Inscriptio, præterea & Aphorismus.

MARCI

MARCI ANTONII
VLMI PATAVINI,
PHILOSOPHI, ET MEDICI
BONONIENSIS.

PHALLVS VIRILIS
HOC EST
De Indicijs cognoſcendi Temperamenta Teſtium, vel Partium Genitalium ipſorum Virorum.

APHORISMVS.

PVdendorũ Virilium, ſeu Genitaliũ Partium Maſculinarum Temperiem ſignificant Pubes, Barba, Venus, Semen, Generatio, Teſtes, Coles, Lumborum, ac Totiùs Corporis ipſa Conformatio, Prętereà Partium Principum ipſa Temperies.

HAnc Sententiam Aphoriſticam meam veluti, & alteram Superiorem Sexus Muliebris, cecinit referẽs Carminibus hiſce rotundis Euſebius Andreas Amanuẽſis meus, Vir & Religionis ſinceritate, prætereà Morum Candore, Linguarum Peritia, ſed etiam Doctrina mihi ſemper Charus, & amatus.

APHO-

APHORISMVS.

QVAE vegetans foueat Natura Pudenda Virorum
Omnibus oſtentant validis hęc ſubdita Notis.
Barba, Pubes, Semenq;, Venus, Generatio, Teſtes,
Cum Cole, cũ Lũbis, Forma quoq; Corporis, atq;
Pręcipuas ſtatuit, ſua quę Concretio Partes.

Si quę tum in iſtis, tum in reliquis à me ſcriptis Libris videantur forſan à Doctioribus deſiderari, Opus incœptum alij perficiant.

GRATIAS TIBI DOMINE IESV.

BONONIÆ, Apud Ioannem Baptiſtam Bellagambam. Menſis Iunij.
M. DCI.

Superiorum Permiſſu.